

PRO SCIENTIA
SALUTE
POPULIQUE
LIBRARY OF
THE NEW YORK BOTANICAL GARDEN
Special Book Fund
1906
Septemb 1899
R W Gibson Inv

FLORA LIPSIENSIS

PHARMACEUTICA.

SISTENS PLANTARVM AGRI LIPSIENSIS NVNC ET OLIM OFFICINALIVM VENENATARVMQVE DIAGNOSES, DESCRIPTIONES, SYNONYMA, LOCOS NATALES, QVALITATES, VIRES ET VSVM.

AVCTORE

HENRICO THEOPHILO LVDOVICO REICHENBACH.

PHILOSOPH. MEDIC. ET CHIRVRG. IN LITTERAR. VNIVERSITATE LIPSIENS. DOCT. SOCIETAT. LINNEAN. LIPS. VNIVERSAE HISTOR. NATURAL. WETTERAV. ET MINERALOG. IENENSIS SODAL.

LIPSIAE,

APVD. CAROL. FRIEDERIC. FRANZ.

cIɔIɔcccxvII.

Medicus notitia plantae destitutus, de viribus eiusdem nunquam iuste iudicavit.

LINN. *mat. med.*

COMMILITONIBUS

CARISSIMIS.

D. D. D.

AUCTOR.

Quamquam intimam atque exactam rerum, quae nobis tractandae sunt cognitionem non modo utilem esse sed necessario requiri inter omnes constet: tamen eorum, qui principiis doctrinarum, quibus se totos dicare decreverunt non tanta omnino incumberent diligentia et assiduitate, quanta ad rectam praeparationem opus est haud exiguum videmus numerum, imo et tales cognovimus qui plane inutilia ea et minime necessaria rati, alia et minus molesta via scopum attingere conarentur. At fallax est illa et periculosa, in re medica maximi momenti; quid enim, ut exemplo utar, ubi laminas imponendi, fasciasque adligandi cuidam ossium musculorumque formae situsque inscio sit cupido? quid ubi ad formulas praescribendas animum quis accingeret medicamentorum eorumque virium recta cognitione expers? —

Ut plantarum, medicinalium certe, notitia iis, qui arti medicae vel universae vel phar-

maciae solummodo studeant iucundior et facilior reddatur, hoc tentamine, quantum in me est, iuvare enixus sum. De plantis medicis scripturus, minime immemor eram laboriosi conatus, minime antecessorum celebritate, finibus itaque arctioribus circumscripsi periculum et eas nonnisi plantas describere suscepi, de quibus agro nostro indigenis ipse compertum habeo. Decem sunt et quod excurrit anni quod plantis indagandis, examinandis, exsiccandis, describendis pingendisque operam darem, et omne quod postea medicae artis et theoreticae et practicae cultura reliquit otium semper rei herbariae inprimis et zoologiae dedicarem. Antea αὐτοδίδακτος, difficultates omnino intelligens cum doctrina tam gravi coniunctas, tamen ab eius studio non abhorrui, et postea dulcissimorum, quos ex fautoris mei atque praeceptoris praeclarissimi Exp. Schwaegrichenii institutionibus deportavi, fructuum nunquam immemor ero. Agrum nostrum sedulo percursitans Florae Lipsiensis non minus, quam Faunae divitias cognoscendi largissimam reperi occasionem, nec horum unquam nollem recordari iucun-

dissimorum, vitae annorum. Quae quum tractarem, permultos etiam academiae cives, nec non pharmacopaeos, ad idem studium animum appellentes, eorumque variam de rebus botanicis sententiam cognovi. Vidi enim perplures, quibus mox molesta videbatur atque omnino inutilis universa botanica scientia, qui nonnisi aliorum impulsu excursionum participes, harum finis plane immemores, res alienas tractantes plantarum quaerendarum vix rationem haberent; vidi multos, eosque melius de botanice sentientes, qui botanices pharmaceuticae ad medicinam faciendam permagnam utilitatem bene intelligentes hanc tamen ita coërcerent, ut plantam qualiscunque sit, quae hodie non in formulis medicis praescribatur, abiicerent; at vidi etiam, quamvis paucos, qui nec calore, nec frigore, nec fame nec siti deterriti, strenue in fine suo perseverantes nonnisi plantis investigandis operam darent.

His modo commemoratis non scribo; hi verae botanices cultores non mea egent institutione, his enim infinita patet celeberrimorum scriptorum series adeunda, his quoque

non opus est ad indagandas explorandasque plantas impulsu. Sed alter est botanices cultorum ordo, eorum quidem, qui necssitatem botanices ad medicinam addiscendam concedant, sed universae botanices non habeant rationem; his operam impendi. Paradoxon videtur, ubi contendat quis plantarum medicinalium solummodo cognitionem quemdam sibi comparare posse, quum tamen et reliquarum, ne confusio existat, notitia necessaria sit, at omnis huius rei cardo versatur in principiis i. e. in terminologia botanices, et eum, qui terminologia satis eruditus est, nil refert, num planta oblata sit medicinalis nec ne. Ita et illis, qui medicinae studiosum magis occupatum esse contendant, quam ut plantarum tam multarum notitiam sibi conciliandi otium ei supersit, oppugnatur, quum terminologiam addiscendi tempus unicuique concedat. Ne vero exploratione officinalium plantarum tam multum temporis teratur, has exhibui, hisque solis hoc tentamen dicavi. Defendat me summus ille amor, quo in universae historiae naturalis studium iam ex prima pueritia flagro, defendat me voluntas bo-

tamen arctius apud commilitones meos cum arte medica iungendi, qui nunc post entomologicum nuper editum specimen et botanicum in lucem proferre audeam.

Plantas antea omnes in agro nostro occurrentes, vel nunc vel olim officinales adumbrare in animo erat, quum vero nimis voluminosum hoc factum esset opus, eo coërcui propositum meum, ut nonnisi illis, quibus hodie in officinis utimur, brevem adderem descriptionem illas vero quae nobis videntur obsoletae, nonnisi diagnosi certa atque perspicua exhiberem.

Systema secutus sum sexuale Linneanum et quidem emendatum, quum hoc notissimum, aptissimum quoque ad plantas medicinales indicandas mihi videatur, et ipse in libello tam parvo minime aliud systema sequi debere persuasum mihi habeam. Defectus classium Polyadelphiae et Polygamiae, quum difficilius a tirone eruantur Persoonio auctore ab omnibus fere probatus etiam mihi arrisit.

Genericos characteres a celeberrimi aevi nostri scriptoribus a Willdenowio, Persoonio, Sprengelio mutuatus sum. Specificas definitiones complures comparavi, sin-

gulas examinavi, unam elegi; singulo interdum alius charactere addito. Auctores citavi nonnisi paucos, quum citatorum copia fini quem ego concepi minime responderet; eadem est synonymorum ratio, LINNEANUM nomen, ubi planta non ignota fuerit LINNEO, nunquam desideratur.

Icones eas quas ipse vidi BLACKWELLIANAS, SCHKUHRII et optimas HAYNII religiose indicavi.

Descriptiones partium, quas multis adieci, cum natura congruas quisque deprehendet, quum vel in loco natali saepius, secundum viva specimina vel in herbario secundum exacte siccata atque praeparata eas confecerim.

Locum natalem indicavi nullum quem non ipse compertum habeam, itaque permagnum videtur discrimen inter locos a me indicatos et a BAUMGARTENIO laudatos, quem iam Exp. SCHWAEGRICHEN hac in re saepissime peccasse demonstrat. Plantae cultae e Flora omnino eiiciendae sunt, itaque harum nunquam nec definitiones nec descriptiones proposui, sed obiter tantummodo earum feci mentionem. Plantas a me lectas, a BAUMGARTENIO

vero non indicatas, nonnisi paucas officinales, quum non Floram scribam Lipsiensem, sed eius medicas tantum plantas recensere propositum habeam, commemoravi. Inter illas tamen Fritillariam Meleagridem me re vera sponte in prato magno silvae Rosenthal quo itur a nosocomio Jacobi vidisse memorabile videtur. Nonnullos a BAUMGARTENIO laudatos locos plantas, quas ibi inveniri affirmat, non praebere, sed ftustra ibi quaeri patet, attamen non contenderem eum semper errasse, quum ipse plantas nonnullas in locis bene notatis non denuo legerim, inter quas rarum illud nominare sufficiat Trifolium striatum SCHREB. quod Exp. SCHWAEGRICHEN in colle St. Theclae, ego vero anno cIↃIↃcccxII copiose in collibus prope Zschocher et eodem anno prope Pfaffendorf antequam nosocomium ibi exstrueretur militare, nunquam vero postea inveni. Tempus florescentiae certum indicavi.

In viribus plantarum a me descriptarum recensendis pariter atque in earum usu laudando optimorum secutus sum scriptorum opera, etiam vires imaginatas quas veteres

nonnullis adscripserunt sicut praeparata obsoleta plerumque enarrare non dubitavi, nam difficillime exploratur an hodie sit officinalis planta quaedam nec ne, imo illas quas iam diu oblivioni fere omnes tradiderunt hodie laudibus eximiis audimus efferri; nolo *Anagallidis arvensis*, nolo *Calendulae officinalis* facere mentionem, quarum illa in hydrophobia, haec in ictero etc. multa efficisse fertur. Nonnulli etiam *Junci pilosi* in silva academica copiosi, radices, et nuperrime *Pyrolam umbellatam*, eamque inprimis diureticam, ibidem, rarius tamen obviam, laudarunt.

Permultae rationes in cuiuscunque plantae usu sunt habendae, inprimis vero sit iusto tempore collecta, rite siccata vel praeparata, sitque certa, ubi adhibeatur, indicatio.

Nomina, generica certe, germanica et francogallica, quum horum notitia medico nec non pharmacopaeo necessaria sit, in calce libelli quamquam in ipso non fuerant indicata latinis immixta leguntur.

Scripsi Lipsiae. Mense Jan. 1817.

MONANDRIA.

MONOGYNIA.

SALICORNIA. *Calyx* nullus. *Corolla* nulla. *Squamae* amenti ternae partes fructificantes includunt. *Stylus* bipartitus. *Semen* unum.

S. *herbacea*, geniculis compressis emarginatis, internodiis obconicis, amentis pedunculatis. SPRENG. Fl. Hal. p. 2. — LINN. spec. pl. ed. WILLD. I. 1. p. 23. BAUMG. Fl. Lips. p. 1. — *Icon.* BLACKW tab. 598. SCHKUHR. bot. Hand. tab. 1. PALL. haloph. tab. I. fig. 1.

Radix annua, fibrosa; caulis herbaceus, ramosus palmaris — pedalis, aphyllus, articulatus: articulis apice compressis, emarginato-bifidis; rami oppositi, patuli; amenta pedunculata, opposita vel terminalia; ante florescentiam vix ramis crassiora, squamis imbricatis, florentia et post florescentiam ramis crassiora, clavata, carnosa. Color radicis et caulis lutescens, rubicundus, ramorum amentorumque obscuro viridis, partium fructificationis flavescens.

Var. α) caule simplicissimo vel ramis simpliciusculis, virgatis. *Salic. virginica* SCHOLL. suppl. Fl. barb. n. 10. 16. LEYSS. Fl. Hal. p. 1. HOFFM. Fl. germ. ed. 1791. p. 1.

β) *acetaria*, annua strictim erecta subramosa rubra, amentis cylindricis oppositis terminalibus. SPRENG. PALL. haloph. Tab. I. fig. 2. II. Fig. 1.

γ) *prostrata* caule ramosissimo divaricato trifariam prostrato, articulis apice subsinuatis, amentis crebris oppositis terminalibus. SPRENG. PALL. haloph. Tab III.

Locus. Ad salinas prope Ketschau et Teuditz. Var. β. et γ. extra fines floras nostrae in Mansfeldia legi ad lacum salsum. *Floret* Aug. Septbr.

Pars offic. *Herba Salicorniae. Praeparata.* *Soda.* *Qualitas* inodora, sapore salso acri var β. acidulo. *Vis.* stimulans, antiscorbutica, resolvens, diuretica. *Usus.* Olim in scorbuto et hydrope, etiam in scabie, abscessibus, scelotyrbe et hypersarcosi adhibitam esse testantur. Ceterum ad sodam praeparandam nobis planta aptissima; ex Anglorum more cum aceto, oleo et pipere condita acetariae loco comedi potest.

DIANDRIA.

MONOGYNIA.

VERONICA. *Corolla* limbo quadripartito: lacinia infima augustiore. *Capsula* bilocularis, obcordata.

V. *officinalis*, spicis lateralibus pedunculatis, foliis oppositis obovato subrotundis pilosis annuis caule procumbente hirto. LINN. sp. pl. ed. WILLD. I. p. 59. n. 17. BAUMG. Fl. Lips. p. 7. n. 14. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 145. SCHKUHR bot. Handb. t. 3. HAYNE. IV. 3.

Radix parennis, fibrosa; caulis procumbens, adscendens, teres, hirtus; folia opposita, brevipetiolata, obovata, serrata; racemi pedunculati, erecti, axillares; corollae subcoeruleae, rubro striatae.

Loc. nac. In silvaticis umbrosis v. c. inter Lindenau et Leutsch, prope Lindenthal, bei dem heitern Blick, im Wilwisch, am Bieniz, in silva academica. Fl. Jun. — Septb.

Pars offic. *Herba Veronicae*, collecta mense Maio et Junio caute siccatur ne mucore depravetur. *Qualit.* Inodora, sapore subamara, adstringens. *Vis.* adstringens, vulneraria, tonica. *Usus.* Planta iam antiquissimis temporibus nimis laudata, ita ut eius nomen e verbis: vera unica, compositum sit. Saepissime in variis pectoris morbis, in tussi, asthmate, phtisi pulmonali adhibebatur. Etiam in mictu cruento, in calculis renalibus et in scabie mul-

ta efficisse perhibent. Secundum Linneum ea in cachexia quoque utebantur. Decoctum cum vitriolo inspissatum atramentum exhibere testatur Baumgarten. Pecoribus salutaris dicitur. *Praeparata* vix prostant in officinis nostris. Olim *pulvis*, *conserva*, *extractum*, *essentia* et *aqua destillata*.

V. *Beccabunga*, racemis lateralibus, foliis ovatis planis, caule repente. Linn. sp. pl. ed. Willd. I. p. 64. n. 30. Baumg. Fl. Lips. p. 7. n. 16. *Icon.* Blackw. Herb. tab. 48. Fig. 1. Hayne. IV. 2.

Radix perennis, repens, fibrosa; caulis repens, radicans, adscendens, teres, articulatus, glaber; folia opposita, brevipetiolata, ovalia, crenata, obtusa, plana, subcarnosa, viridissima; racemi laterales longe pedunculati, axillares; corollae coeruleae aut caesiae.

Distinguenda a specie affini: V. *Anagallide*, racemis lateralibus, foliis lanceolatis serratis, caule erecto. Linn. Willd. sp. pl. I. p. 65. n. 31. Baumg. Fl. Lips. 8. n. 17. *Icon.* Blackw. t. 48. Fig. 2, Hayne. IV. I.

Loc. natal. Ad scaturigines et fossas fere ubique, praeprimis *am Gesundbrunnen*, *Thonberg*, prope *Stötteritz*, inter prata ad viam qua itur pagum *Schönfeld*, prope *Lindenau* et *Leutsch*, etc. *Floret* Maio — Septb.

Pars offic. Herba Beccabungae recens colligitur vere, *Qualit.* Inodora, sapore sub amaro, subacri. *Vis.* Inter resolventia, diure-

tica, discutientia relata est. *Usus.* A veteribus in ictero, hydrope, scabie et scorbuto valde laudata, etiam hodie haud raro succo expresso cum aliarum plantarum commixto ad. s. d. curas vernales utimur. Optima forma est ubi acetariae loco comeditur.

V. *Teucrium*, vacemis lateralibus longissimis, foliis ovatis rugosis dentatis obtusiusculis, caulibus procumbentibus. Linn. sp. pl. ed Willd. I. p. 66. n. 33. Baumg. Fl. Lips. p. 8. n. 19. *Icon. Iacq.* austr. t. 60.

Radix perennis, repens; Caulis adscendens, strictus, teres, villosus; racemi laterales longissimi, recti, oppositi, axillares; folia ovata nonnunquam ovato- et cordato-lauceolata, opposita, sessilia, serrata, obtusa, rugosa, subamplexicaulia, utrinque subvillosa; calyces plerumque quinquefidi, inaquales: lacinia infima minima, cum bracteis et pedicellis subvillosi: villis sub lente contortis; corollae laete coeruleae. Species similes sunt Veronica prostrata, latifolia, et vulgatissima Chamaedrys cum montana.

Loc. natal. Ad margines agrorum, inprimis in collibus, v. c. am Bieniz. Jun. Jul.

Pars offic. Herba Veronicae Teucrii foliae colligitur apud nos rarius tempore florescentiae. *Qualit.* Inodora, sapore gaudet subamaro, adstringente. *Vis* adstringens, aperiens. *Usus.* Nonnisi ad species pectorales interdum collecta, etiam in cachexia olim praescripta.

Rosmarinus officinalis planta suaveolens, aromatica apud nos colitur in hortis.

SALVIA. *Corolla* ringens. *Filamenta* transverse pedicello affixa.

S. *pratensis*, foliis cordato-oblongis: summis amplexicaulibus, verticillis subnudis corollis galea glutinosis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. I. p. 135 n. 24. BAUMG. Fl. Lips. pag. 12. n. 33. *Icon.* BLACKW. Herb. tab. 258.

Radix perennis, fusiformis; caulis erectus, obtuse tetragonus, pilosus, 1—2 pedalis; folia opposita, petiolata, cordato-oblonga, duplicato-crenata, rugosa, supra glabra, subtus hirsuta; superiora amplexicaulia, sessilia; flores verticillati, verticilli subnudi, 6. flori; bracteae binae, cordatae, acuminatae, decolorae, calyce breviores; corollae subviolaceae.

Loc. natal. in locis calcareis, versus Thuringiam, iam inde ex Altranstaedt et am Bieniz. *Pars offic.* *Folia* et *Semina Hormini* olim colligebantur, nunc vero obsoleta. *Qualit.* graveolens, vix foetens; sopore adstringente, amaro. Continet oleum aethereum et partes gummosas. *Vis* adstringens. *Usus.* Vix hac panta in arte medendi utimur todie, tamen notatu digna quum commisceátur cum Humulo Lupulo ut cerevisia vim temulantem assumat.

S. *officinalis* planta omnino salutaris, non indigena, apud nos colitur in hortis; sponte crescit in Europa australi.

TRIANDRIA.

MONOGYNIA.

VALERIANA, *Calyx* nullus, aut margo minimus. *Corolla* monopetala, subinfundibuliformis, quinquefida, basi hinc gibba, supera. *Semen* unum.

V. *officinalis*, floribus triandris, foliis omnibus pinnatis, foliolis dentatis lanceolatis, caule sulcato. — LINN. sp. pl. ed WILLD. I. p. 177. n. 6. BAUMG. Fl. Lips. pag. 29. n. 74. *Icon* BLACKW. tab. t. 271. SCHK. bot. Handb. t. 5. HAYNE III. 32.

Radix fibrosa perennis; caulis erectus, teres, sulcatus, glaber, fistulosus, 2 — 4 pedalis; rami axillares; folia opposita, impari pinnata, caulina sessilia, radicalia longepetiolata; foliola lanceolata, dentata; terminale maius trilobum; flores triandri, cymosi; corollae albidae vel incarnatae suaveolentes.

Distinguenda a V. *dioica*, florib. dioicis, fol. pinnatifidis subtus venosis, inerioribus ovatis integerrimis. PERS. synops I. p. 37. n. 6. WILLD. LINN. sp. pl. I. p. 176. n. 4. *Icon*, BLACKW. t. 484. HAYNE III. 31.

Loc. natal. In locis palustribus, v. c. in pratis prope Connewitz, in alneto nec non ad fossas inter prata prope Schönfeld, Lindenau, Leutsch, Schleussig, Raschwitz etc. *Variet.* angustifolia in pratis am Bieniz. *Floret* Jun. Jul.

Pars offic. *Radix Valerianae silvestris* s. *minoris.* Colliguntur radices verno tempore in locis elatioribus montanis, v. c. in Thuringia, planta in locis palustribus nata nimis luxurians usui medico inservire nequit itaque Lipsiae non colligenda.

Qualit. Radix graveolens, odore camphorato, penetrante, sapore amaro, acerrimo. Multum inest olei aetherei praeterea partes resinoso-gummosae. *Vis* magna est incitans, antispasmodica, nervina, diaphoretica, diuretica. *Usus.* Medicamentum celeberrimum adhibetur quotidie in morbis nervosis, acutis pariter atque chronicis, in vitiis digestionis, in rhuematismis. morbis verminosis. *Praeparata.* *Pulvis radicis Valerianae*, *oleum aethereum*, *aqua destillata*, *tinctura simplex*, *ammoniata* s. *volatilis* et *Lentini*, *Extractum aquorum.*

GLADIOLVS. *Corolla* tubulosa, varia, erectiuscula; *laciniae* ovato-lanceolatae, undulatae. *Genitalia* adscendentia, pistillum pone stamina versus laciniam superiorem.

G. *communis*, cor. subringente, spathis tubo longioribus, floribus, secundis, foliis ensiformibus nervosis. WILLD. LINN. sp. pl, ed. WILLD. I. p. 215. n. 20. BAUMG. Fl. Lips. p. 31. n. 78. *Icon.* SCHK. bot. Handb. t. 6.

Radix perennis, bulbosa, subglobosa, reticulato-tunicata; caulis simplicissimus erectus, teres, glaber, 1—2 pedalis; folia ensiformia,

alterna, elongata, glabra, striata, subviridia; flores racemosi 5 – 6, secundi, subremoti, corollae subringentes puniceae; spathae tubo longiores.

Loc. natal. Legitur passim nec quotannis in pratis humidiusculis ad pagum Kleindölzig am Bieniz

Pars offic. *Radix Victorialis rotundae.* *Qualit.* Ex amylo constat, inodora, insipida. *Usus* medicinalis obsoletus est, nonnisi superstitioni inserviens interdum in officinis quaeritur.

IRIS. *Corolla* sexpetala: laciniis alternis reflexis. *Stylus* nullus. *Stigmata* petaliformia. *Stamina* incumbentia.

1. *Pseud-Acorus*, imberbis, foliis ensiformibus, petalis alternis stigmate minoribus. Thunbg. diss. n. 18. Linn. sp. pl. ed. Willd. I. p. 232. n. 24. Baumg. Fl. Lips. p. 32. n. 80. *Icon.* Blackw. Herb. tab. 261. Schk. bot. Handb. tab. 5.

Radix perennis, articulata, fibrosa; scapus erectus, inflexus, glaber, ramosus; folia ensiformia, striata, glabra 3 — 4 pedalia, basi vaginantia; laciniae corollae alternatim reflexae stigmate minores, imberbes; germen trigonum, angulis sulcatis; corollae flavae inodorae,

Loc. natal. Crescit in omnibus fere stagnis et fossis v. c. prope Schönfeld, im Rosenthal, in partis den Gerberwiesen etc. *Floret* Maio Junio.

Pars offic. Radix Pseud-Acori, Acori palustris, Adulterini, Ireos palustris, Gladioli lutei. Colligitur vere ante scapi foliorumque explicationem, deinde siccata servatur. *Qualit.* Graveolens, foetens; sapore acri, adstringente. *Vis* adstringens. *Usus.* Olim saepius etiam medici hac radice in hydrope, dysenteria, epistaxi et mictu cruento usi sunt, externe etiam ad gargarismata adstringentia paranda, nec non ad tincturas antiodontalgicas et antiscorbuticas adhibuerunt. Etiam succus recens expressus odontalgiam lenire fertur.

DIGYNIA.

MILIVM. *Calyx* bivalvis, uniflorus, ventricosus, *Corolla* bivalvis brevissima. *Stigmata* penicillata. *Semina* villosa.

M. *effusum* florib. verticillato-paniculatis dispersis muticis. Linn. Willd. sp. pl. I. p. 360. n. 7. Baumg. Fl. Lips. p. 41. n. 106. *Icon.* Schk. bot. Handb. tab. 11.

FESTUCA, *Calyx* bivalvis, multiflorus. *Spicula* oblonga, teretiuscula aut divergens, mutica aut arista terminali instructa.

F. *fluitans*, culmo adscendente, panicula ramosa, ramis patentibus, spiculis subsessilibus adpressis teretibus muticis. Schreb. gram. 37. tab. 3. Linn. sp. pl. ed. Willd. I. p. 426. n. 20.

BAUMG. Fl. Lips p. 56. n. 158. *Icon.* SCHREB. cit. SCHK. bot. Handb. tab. 15.

E graminum gente *Phalaris canariensis* L. et *Panicum miliaceum* L. Lipsiae passim coluntur, *Milium effusum* L. in silvaticis umbrosis Maio, Junio, *Festuca fluitans* L eodem tempore et serius florens in fossis et stagnis fere ubique sponte crescunt; singulorum semina nutrimenta saluberrima praebent, tamen praeter Panicum miliaceum reliquis non utimur.

Avena sativa L. W. sp. pl. pag. 446. n. 13. A. *orientalis* no. 12. cultae occurunt immixta passim A. *strigosa* n. 11. earumque semina excorticata ad potum coctione parandum et cataplasmata quam saepissime adhibentur.

TRITICVM. *Calyx* bivalvis, solitarius, multiflorus. *Flos* obtusiusculus, glumis muticis aut interrupte aristatis. *Spiculae* breviusculae e latere plano rachi approxinatae.

T. *repens*, calycib. subulatis multineruibus quinquefloris, flosculis acuminatis, foliis planis radice repente nodosa. SMITH. LINN. spec. pl. ed. WILLD. I. p. 481. n. 13. BAUMG. Fl. Lips. p. 67. n. 191. *Icon.* BLACKW. Herb. tab. 537. (Gramen caninum) SCHREB. gram. tab. 26. SCHKUHR bot. Handb. tab 20.

Radix perennis, repens, longissima, filiformis, glabra, geniculata, geniculis fibrosis, albida; culmus erectus, teres, glaber, radicans, 2—3 pedalis; folia plana, latiuscula, scabra; vaginae foliaceae striatae glabrae; calyces 4 —

multiflori, subulati acuminati, spiculae compressae, muticae aristatae.

Loc. natal. Crescit ubique in hortis, agris, ad agrorum versuras, pratorumque margines, hortulanis agricolisque taedium, florens Jun. — Aug.

Pars offic. *Radix graminis*, s. *graminis canini* s. *minoris.* Effodere solent radices verno vel autumnali tempore, fibrillis mundatas siccare. Notis supra indicatis satis differt ab Elymi canini et Lolii perennis radicibus quae interdum his immiceri dicuntur. *Qualit.* Inodora, sapore subdulci. Continet mucilaginis multum et sacchari. Coctione in aqua optime extrahitur. *Vires* Nutriens, resolvens, demulcens. *Usus.* Ad vires reproductivas suffulcieudas, saburras primarum viarum resolvendas educendasque et hodie saepe ordinamus. *Praeparata.* *Extractum* s. *Mellago Graminis.*

Triticum aestivum L. W. sp. pl. I. p. 476. n. 1. *hybernum* L. n. 2. *Secale cereale* L. WILLD. sp. pl. I. p. 471. n. 1. *Hordeum vulgare* L. W. p. 472. 1. *hexastichon* L. n. 2. *distichon* L. n. 3. inter gramina ubique in agro Lipsiensi culta sunt referenda. Farinam semina praebent vario modo usui quoque medico inservientem.

LOLIUM *Calyx* monophyllus, fixus, multiflorus. *Spica* simplex.

L. *temulentum* spica aristata, spiculis compressis

multifloris. LINN. sp. pl. ed. WILLD, p. 462. n. 3. BAUMG. Fl. Lips. p. 66. n. 187. *Icon.* SCHREB. tab. 36. SCHK. bot. Hdb. t. 15.

Radix annua, fibrosa; spica aristata; spiculae compressae, multiflorae; semina oblonga, latere altero convexa, altero plana sulcata.

Loc. natal. In agris imprimis humidiusculis inter segetes, apud nos frequentissime inter Hordeum et Avenam. *Flor.* Jun. Jul.

Pars officinalis nulla, at planta venenata. *Qualit.* Semen sapore dulci, hominibus animalibusque nocivum. Eius assimilationem sequitur temulentia, vertigo, anxietas, cephalalgia, sopor, vomitus, obscuratio oculorum adeo coecitas, tremor artuum, sudores, spasmi, paralyses, furor imo apoplexia. In homines adultos graciles magis vim nocivam exserit quam in infantes aut obesos. Morbi epidemici ex huius seminis in farinam immistione orti esse dicuntur. Malto ad cerevisiam parandam immixtum semen hanc temulentam reddit atque infestam. Antidota optima sunt ab initio emetica, imprimis usus nimius lactis quo praeterea involvitur venenum eiusque vis in viscera nociva imminuitur.

TETRANDRIA.

MONOGYNIA.

SCABIOSA. *Calyx* communis, polyphyllus: proprius duplex superus. *Receptaculum* paleaceum aut nudum.

S. *succisa*, corollulis quadrifidis aequalibus, caule simplici, ramis approximatis, foliis lanceolato-ovatis: caulinis subdentatis, floribus subglobosis. — LINN. sp. pl. ed. WILLD. I. p. 548. n. 9. BAUMG. Fl. Lips. p. 81. n. 232. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 142.

Caulis erectus, simplex, teres, striatus, hirsutus, summitate trifidus, bipedalis et ultra; rami approximati; folia radicalia ovato-lanceolata, integra, indivisa; caulina inferiora opposita, lanceolata, superiora linearia; corollae quadrifidae aequales, coeruleae.

Variat foliis hirsutis, glabris, incisis, flore prolifero; corollis carneis albisque.

Loc. natal. In pascuis pratisque silvaticis v. c. im Rosenthal, prope Leutsch et Lindenau, am Gesundbrunnen etc. Varietates foliis hirsutis prope Gundorf et am Bieniz, et altera floribus carneis albidisque passim occurrunt. *Floret* Aug. Septb.

Pars offic. *Radix* et *Herba Succisae* s. *Morsus diaboli.* Quotannis pars radicis crassior emarcescit, unde videtur praemorsa, Mense Aprili extrahere solebant. *Qualit.* Vix odora,

sapore dulcamaro adstringente. *Vis.* Olim radix pariter atque folia resolventia, diaphoretica et mundificantia dicebantur. *Usus* in medicina humana obsoletus, a zoiatris adhuc praescribitur.

S. *arvensis*, corollulis quadrifidis radiantibus, foliis pinnatifidis incisis, caule hispido. Oed. — Willd. Linn. sp, pl, I. p. 550. n. 15. Baumg. Fl. Lips. p. 82. n. 233. *Icon.* Blackw. Herb. t. 185. Schk. bot. Hdb. t. 22.

Lipsiae planta vulgaris ad agrorum versuras. Pracedente vix magis laudanda; *Radix*, *Herba* et *Flores scabiosae* hodie obsoleta eodem modo quo *Conserva*, *Aqua*, *Extractum* et *Syrupus* eiusdem.

ASPERULA. *Corolla* monopetala, infundibuliformis. *Semina* duo globosa.

A. *odorata*, foliis octonis lanceolatis, florum fasciculis pedunculatis, fructu hispido. Smith. — Linn. sp. pl. ed. Willd. I. p. 576. n. 1. Baumg. Fl. Lips. p. 91. n. 259. *Icon.* Blackw. Herb. t. 60. Fig. 1. 2. Schk. bot. Hdb. tab, 23.

Loc. natal. In ericeto Dubenensi ad viam gregariam Vitebergensem crescit copiose.

Inter plantas medicinales obsoletas referenda sicut sequentes. *Offic. Matrisylvae Herba.*

GALIUM. *Corolla* monopetala, plana. *Semina* duo subrotunda.

G. *verum* foliis octonis linearibus sulcatis, floribus paniculatis, ramis floriferis brevibus. Pers. — Linn. spec. pl. ed. Willd. I. p. 590. n. 22.

Icon. BLACKW. Herb. tab. 435. SCHK. bot. Handb. tab. 23.

In omnibus fere Lipsiae limitibus versurisque agrorum. *Offic. Galii lutei Herba* et *Flores.*

G. *Mollugo*, nitidum, foliis octonis ovato-linearibus subserratis reflexis mucronatis, caule flaccido, ramis patentibus. OED. — LINN. sp. pl. ed. WILLD. I. p. 590. n. 23. BAUMG. Fl. Lips. p. 89. n. 252. *Icon.* BACKW. Herb. tab. 163.

Crescit in pratis, dumetis, ad vias, passim. *Offic. Herba* et *Flores Galii albi.*

PLANTAGO. *Calyx* quadrifidus. *Corolla* quadrifida: limbo reflexo. *Stamina* longissima. *Capsula* bilocularis, circumscissa.

P. *maior*, foliis ovatis glabris, scapo tereti, spica flosculis imbricatis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. I. p. 641. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 84. n. 63. *Icon.* BLACKW. Herb. tab. 35. a. SCHK. bot. Handb. tab. 23.

Pars offic. Plantaginis latifoliae Radix, Herba et *Semina.*

P. *media*, foliis ovato-lanceolatis pubescentibus, spica cylindrica, scapo tereti. LINN. sp. pl. ed. WILLD. I. p. 642. n. 5. BAUMG. Fl. Lips. p. 85. n. 242.

P. *lanceolata*, foliis lanceolatis, spica subovata nuda, scapo angulato. LINN. sp. pl. ed. WILLD. I. p. 643. n. 8. BAUMG. Fl. Lips. p. 85. n. 243.

Plantae Lipsiae vulgares; prima et tertia in locis graminosis, pratensibus, secunda ad

vias in pascuis locisque aridis copiose crescunt, a majoribus nostris nimium laudatae, nobis vero obsoletae, quamquam usui externo ad discutiendos tumores haud inepte inserviunt.

SANGUISORBA, *Calyx* diphyllus inferus. *Corolla* supera *Germen* inter calycem corollamque.

S. *officinalis* spicis ovatis, staminibus corollam subaequantibus. PERS. Synops. I. 141. 1. LINN sp. pl. ed WILLD. I. p. 653. n. 1. *Icon.* SCHK. bot. Hdb. t. 24.

Planta vulgaris pratensis, floret Jul. — Septbr. *Radix* et *Herba Sanguisorbae* s. *pimpinellae italicae* medicamenta adstringentia obsoleta.

ALCHEMILLA. *Calyx* octofidus. *Corolla* nulla. *Semen* unum, calyce vestitum

A. *vulgaris* foliis reniformibus novemlobis acute dentatis utrinque subnudis, corymbis terminalibus. LINN. sp. pl. ed. WINLD. I. p. 698. n. 2. *α. β.* BAUMG. Fl. Lips. p. 95. n. 268. *Icon.* BLACKW. Hb. tab. 72. SCHK. bot. Handb. t. 26.

Planta perennis Lipsiae haud rara in graminosis silvaticis in locis pinguioribus prope Leutsch et im Rosenthal, in der Leimengrube. Olim *Herba* et *Radix Alchemillae* remedium tonicum, adstringens, vulnerarium, a superstitiosis hominibus praeterea vario modo commendatum.

CORNUS. *Involucrum*, tetraphyllum saepius. *Petala* supera quatuor. *Drupa* nuce biloculari.

C. *mascula*, arborea, umbellis involucrum aequantibus. LINN. sp. pl. ed. WILLD. I. p. 661. n. 4. BAUMG. Fl. Lips. p. 94. n. 265. *Icon.* BLACKW. Hrb. tab. 121. SCHK. bot. Hdb. t. 24.

In sepibus hortorum vulgaris, praeterea in montibus elatioribus versus Thuringiam. *Offic.* *Fructus Corni.* Exoleti.

TRAPA. *Corolla* tetrapetala. *Calyx* quadripartitus. *Nux* spinis quatuor, oppositis cincta, quae calycis folia fuere.

T. *natans* nucibus quadricornibus, spinis patentibus. LINN. sp pl. ed. WILLD. I. p. 681. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 93. n. 264. *Icon.* SCHK. bot. Hdb. tab. 25.

Planta aquatica, natat inprimis in piscinis in Gerlachs Garten ante portam St. Petri, in pago Lindenau etc. *Offic.* olim *nuces aquaticae* s. *Tribuli aquatici.*

PENTANDRIA.

MONOGYNIA.

LITHOSPERMUM. *Corolla* infundibuliformis, fauce perforata, nuda. *Calyx* quinquepartitus. *Semina* ossea, nitida. (Genitalia inclusa.)

L. *officinale*, seminib. laevibus, corollis vix calycem superantibus, foliis lanceolatis venosis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. I. p. 751. n. 1.

BAUMG. Fl. Lips. p. 106. n. 292. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 456.

Raro occurrit in Flora Lipsiensi in locis silvaticis elatioribus v. c. prope Rögliz. Floret Maio, Junio.

L. *arvense*, seminibus rugosis, corollis vix calycem superantibus. LINN. sp. pl. ed. WILLD. I. p. 751. n. 2. BAUMG. Fl Lips. p. 106. n. 293.

Lipsiae copiosum inter segetes. Floret Aprili – Jun. et iterum autumno.

Utriusque plantae usus medicus obsoletus. Alterius s. *Milii solis seminibus* vires lithontripticas alterius illi antipleuriticas esse imaginati sunt, plantae vero tinctoriae.

ANCHUSA. *Corolla* infundibuliformis: fauce clausa fornicibus. *Semina* basi insculpta, superficie utplurimum venosa.

A. *officinalis*, foliis lanceolatis hispidis, spicis secundis imbricatis calycibus quinquepartitis longitudine tubi corollae. WALLR. ann. bot. p. 27. n. 42. foliis lamceolatis, spicis imbricatis secundis, bracteis ovatis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. I. p. 756. n. 3. BAUMG. Fl. L. p. 109, n 301. *Icon.* BLACKW. Hrb. t. 500. SCHK. tab. 29, HAYNE. I. 25.

Planta passim in viis ad loca arida elatiora v. c. in via qua oppidum Wurzen itur frequens crescit. De eius viribus ipse Linneus haesitans interrogative eam inter remedia cordialia, exhilarantia refert, et *Radicem, Herbam* et *Flores Anchusae* s. *Buglossi* in

veterum medicorum libris in melancholia atque hypochondria commendatam invenimus. Mucilaginosum re vera est, at his non eget.

CYNOGLOSSUM. *Corolla* infundibuliformis; fauce clausa fornicibus. *Semina* depressa, latere interiore stylo affixa.

C. *officinale*, staminibus corolla brevioribus, foliis lato-lanceolatis basi attenuatis tomentosis sessilibus, laciniis calycinis oblongis. AIT. Kew. I. p. 179. LINN. sp. pl. ed. WILLD. I. p. 760, 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 108. n. 299. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 249. SCHK. bot. Hdb. 30. HAYNE I. 26.

Radix perennis, fusiformis, crassa, fibrosa, externe fusca, interne alba; caulis erectus, obesus, angulatus, ramosus 1 — 2 pedalis; folia alterna sessilia, lato-lanceolata, integra, acuta, undulata, pubescentia; radicalia petiolata, ovato-lanceolata; stamina corolla breviora; flores corollis atropurpureis in racemos unilaterales conferti.

Loc. nat. Planta biennis, crescit ad vias, dumeta, in incultis, v. c. prope Rögliz, Wurzen, in via qua Merseburgum itur, bei der Windmühle, am Bär. Floret Maio — Julio.

Offic. *Radix Cynoglossi* ejusdemque *Herba* olim celebrabantur, et recentes omnino medicamenta praebent externa emollientia, anodyna, minime contemnenda. Usus internus plantae recentis nocivus est, radicis siccatae obsoletus. *Massa pilularum de Cynoglosso* solum adhuc prostat compositum quod ra-

dicem hanc continet, sed eius sin aliqua inest vis, ab opio pendet. Vim nocivam negat cel. HAYNE l. c.

PULMONARIA. *Corolla* infundibuliformis, fauce pervia. *Calyx* prismatico pentagonus.

P. *officinalis*, foliis radicalibus ovato cordatis scabris. LINN. sp. pl. ed. WILLD. I. p. 768. n. 2. BAUMG. Fl. Lips. p. 105. n. 291. *Icon.* BLACKW. Herb. tab t. 376. SCHK. bot. Hdb. t. 30. HAYNE. II. 44.

Radix perennis, fibrosa; caulis angulatus, erectus, hirsutus, summitate subramosus, pedalis; folia radicalia longepetiolata, ovato-cordata, integra acuminata, in petiolum subdecurrentia; caulina sessilia, alterna, ovato-lanceolata, acuminata; omnia hirsuta, supra obscure viridia, subtus laete virescentia; calyx tubo corollae aequalis; flores terminales brevipetiolati fasciculati; corollae ante anthesin roseae post anthesin coeruleae.

Planta perennis in silvaticis umbrosis ubique floret inter primas mense Aprili et Maio. *Herbam Pulmonariae maculosae* nec non *Radicem* eiusdem in officinis nonnullis adhuc invenimus asservatas, alioquin medici earum virtutibus freti in morbis pectoralibus eas haud raro sumere iusserunt. Praeterea planta oleracea, nec non ad acetariam aptissima.

SYMPHITUM. *Corollae* limbus tubulato-ventricosus: fauce clausa radiis subulatis.

S. *officinale* foliis ovato-lanceolatis decurrenti-

bus. LINN. sp. pl. ed. WILLD. I. p. 770. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 106. n. 294. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 252.

Var. *β.* Flore purpureo SCHK. bot. Hdb. t. 30. HAYNE. III. 37.

Radix fusiformis carnosa, externe nigro-fusca, interne alba; Caulis erectus, hirsutus, angulatus, alatus, ramosus, 1—3 pedalis; folia alterna, sessilia, decurrentia, ovato-lanceolata, integra, hirsuta, supra olivacea, subtus dilutiora; flores in racemis secundis terminalibus dispositi.

Habitat in pratis fere ubique in agro nostro, var. *β.* nonnisi in hortis suburbanis in locis incultis, ruderatis rarius occurrit. Ceterum *Radix Consolidae maioris* edulis est, et ob mucilaginis copiam vulneraria vi re vera praedita, olim et in Dysenteria, Haematuria et haemoptysi eam adhibuerunt.

Borago officinalis LINN. sp. pl. ed. WILLD. I. p. 776. n. 1. planta exotica apud nos quasi spontanea in pluribus hortis occurrit; corollae coeruleae antea etiam inter *cordiales flores* relatae non amplius aestimantur a medicis; planta praeterea oleracea et acetariam praebet sapidam; fructibus cucumeris sativae haud absimilem

PRIMULA. *Involucrum* umbellulae. *Corollae* tubus cylindricus: ore patulo; limbo emarginato. *Stigma* globosum. *Capsula* uni-locularis: ore 10-fido.

P. *veris*, foliis rugoso-dentatis, limbo corollarum concavo, tubi collo oblongo. LINN. WILLD. sp. pl. I. 800. n. 2. BAUMG. Fl. Lips. p. 113. n. 311. *Icon.* BLACKW. Herb. tab. 226. SCHK. bot. Handb. tab. 33. HAYNE III. 34.

Radix perennis, fibrosa; scapus multiflorus, simplex, erectus, teres, nudus, pubescens; folia ovata, crenata, obtusa, rugosa, in petiolum decurrentia, subtus pubescentia, supra glabra; flores cernui crocei; calyx pubescens, ventricosus, tubo corollae aequalis; limbus corollae concavus, tubus medio subinflatus.

Habitat in pratis et silvis v. c. am Gutthurm, inter Lindenau et Leutsch, am Bieniz etc. Floret Aprili et Maio. Corollae a rusticis interdum colliguntur ad infusum parandum theiforme. Folia etiam acetarias praebent et pulmenti ad instar coquuntur. *Offic.* olim *Radix, Herba. Flores Primulae veris.* Haud confundenda est cum alia nobisque vulgatiori specie, quae est:

P. *elatior* foliis rugosis dentatis limbo corollae plano, tubi collo hemisphaerico WILLD. sp. pl. I. p. 801. n. 3. *Primula inodora.* HOFFM. Fl. germ. ed. 1800. pag. 93. n. 2. BAUMG. Fl. Lips. 113. n. 312. *Icon* HAYNE III. 35.

MENYANTHES. *Corolla* hirsuta. *Stigma* bifidum. *Capsula* unilocularis.

M. *trifoliata* corollis superne dense barbatis foliis ternatis. PERS. Synops. I. 171 n. 5. BAUMG. Fl. Lips. p. 115. n. 316. *Icon.* BLACKW. Herb.

tab. 474. Schk. bot. Handb. tab. 35. Hayne III. 14.

Radix perennis elongata, articulata, digitum crassa, externe ferruginea, fibrosa, interne albida spongiosa; caulis articulatus, solidus, decumbens, radicans, 1 — 2 pedalis; folia longe petiolata, ternata; foliola sessilia, ovata, obtusa crenulata, glabra laete viridia; petioli teretes, basi vaginantes; flores racemosi, racemi axillares, erecti, simplices; corollae incarnatae laciniis integris.

Loc. natal. In paludosis turfosis v. c. ad fossas in pratis prope Schönfeld, prope Wurzen etc. Floret Maio et Junio.

Pars offic. *Herba* et antea etiam *Radices* et *Semina Trifolii fibrini* s. *paludosi.* Apud nos nonnisi folia cum petiolis colliguntur mense Aprili et Maio. *Qualit.* Folia inodora, amara ut tota planta multum in se amari extracti continent, praeterea et principii acris paululum et kali vegetabilis. *Vis* resolvens, tonica, incitans, diaphoretica, anthelmintica. *Usus,* Medicamentum saluberrimum in reproductionis debilitate, in febribus intermittentibus, Hypochondria, Scorbuto etc. Succus expressus et herba recens vulneraria. Herbae siccatae decoctum, clysmatibus visceralibus addendum.

LYSIMACHIA. *Corolla* rotata. *Capsula* globosa, mucronata, decemvalvis.

L. *vulgaris,* foliis ternis ovatis lanceolatis, race-

mis terminalibus. PERS. Synops. I. p. 172 n. 1. LINN. W. Sp. pl. I. 816. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 111. n. 307. *Icon.* BLACKW. Herb. tab. 278.

Planta in locis paludosis nec non ad ripas stagnorum rivulorumque vulgaris v. c. in pratis der Vogelwiese.

L. *Nummularia* foliis subcordatis, floribus solitariis; caule repente. LINN. WILLD. sp. pl. I. p. 821. n. 14. BAUMG. Fl. Lips. p. 112. n. 310, *Icon.* BLACKW. Herb. tab. 542. SCHK. bot. Handb. t. 36.

Crescit ubique in locis humidiusculis silvaticis, humi repens. *Offic.* olim *Nummulariae Herba.*

Utramque plantam medici veteres magni aestimarunt, altera contra Haemorrhagias, altera externe saepissime utebantur.

ANAGALLIS *Corolla* rotata. *Filamenta* hirsuta, *Capsula* circumscissa.

A. *arvensis*, caule prostrato, foliis ovatis, laciniis calycinis integerrimis corolla glandulifera brevioribus. HAYNE II. 45. *Anagall. arvensis β.* phoeniceo flore BAUH. WILLD. LINN. sp. pl. I. p. 822. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 43. SCHK. bot. Handb. t. 36. HAYNE l. c.

Crescit in agris inter segetse. Floret Jun. — Aug.

A. *coerulea*, caule suberecto, foliis oblongo-ovatis, laciniis calycinis corollam eglandulosam aequantibus. HAYNE II. 46. A. *coerulea* caule erectiusculo subalato: petalis dentatis demum

reflexis. SCHREB. specileg. p. 5. n. 893. A. *femina.* VILL. *Anagall. arvensis α.* flore coeruleo WILLD. LINN. sp. pl. I. p. 821. n. 1. *Icon.* BLACKW. Herb. tab. 147. HAYNE l. c.

In pago Burghaussen, agrisque am Bieniz et Markranstaedt interdum legitur, vulgatissima versus Thuringiam.

Utriusque plantae vires olim celebratae nostris temporibus non agnoscuntur, itaque inter obsoleta medicamenta referenda. cf. LEMKE de Anagallidis viribus. Rost. 1790. 4.

CONVOLVULUS, *Corolla* campanulata, plicata. *Stigmata* duo, simplicia. *Capsula* bi-trilocularis: loculis dispermis.

C. *arvensis*, foliis sagittatis utrinque acutis, pedunculis subunifloris. LINN. WILLD. sp. pl. I. p. 844. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 115. n. 317.

Ubique in agris. Floret Jun. Jul.

C. *sepium* foliis sagittatis postice truncatis, pedunculis tetragonis unifloris, bracteis cordatis maximis. PERS. Synops. I. p. 177. n. 4. BAUMG. Fl. Lips. p. 115. n. 318. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 38.

Habitat in sepibus, hortorum dumetis, salicetis copiose. Floret Jun. — Aug.

Etiam nostratium harum specierum ut exoticarum complurium radices drastice purgantes, herba vulneraria dicitur, utraque plantae pars in officinis obsoleta.

PHYTEUMA. *Corolla* primo terete-conica, dein quinque-partita: laciniis linearibus laxis. *Stigma* bi-trifidum. *Capsula* bi-trilocularis infera.

Ph. *spicata* spica elongata, stylis pilosiusculis, trifidis, foliis radicalibus cordatis duplicato-dentatis. WILLD. LINN. sp. pl. I. p. 923. n. 9. BAUMG. Fl. Lips. p. 122. n. 334. *Icon.* SCHK. bot. Handb. 59.

Habitat in silvis umbrosis, prope Leutsch, am Bieniz in silva academica. Floret Maio — Jul.

Ph. *orbicularis*, capitulo subrotundo, foliis serratis; radicalibus cordatis. LINN. WILLD. spec. pl. I. p. 921. n. 6. BAUMG. Fl. Lips. p. 122. n. 334. *Icon.* JACQ. Fl. Austr. V. 5. tab. 437.

In pratis prope Gundorf, Leutsch et Ehrenberg, am Bieniz, in silva academica. Floret Maio — Jul.

Utriusque Radices — *Radix Rapunculi* — acetariae instar edules, praeterea hodie non officinales.

VERBASCUM. *Corolla* rotata, subinaequalis. *Filamenta* barbata. *Capsula* bilocularis: valvulis inflexis, polysperma.

V. *Thapsus*; foliis decurrentibus crenulatis tomentosis superioribus acutis racemo spicato denso, corollae subrotatae laciniis oblongis obtusis, antheris subaequalibus. SCHRAD. monogr. Verb. p. 17. LINN. WILLD. spec. pl I. p. 1001, n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 118. n. 323. *Icon.* BLACKW. Hb. tab. 3. et 502. SCHK. bot. Hdb. 42.

Radix biennis, teres, crassiuscula, alba; caulis erectus, simplex, tomentosus, 4 — 6 pe-

dalis et ultra; folia alterna, sessilia, decurrentia, ovato-lanceolata, obtuse dentata, utrinque dense tomentosa; flores in spicam elongatam obtusam terminalem conferti; bracteae lanceolatae; pedunculi breves, tomentosi; calyx tomentosus; filamenta tria superiora flavobarbata, duo inferiora longiora glabra; stigma globosum; corollae sulphureae vel albidae.

Loc. natal. In ruderatis, locis cultis et versuris agrorum passim, v. c. ante portam Gerberthor. Floret Jul. — Aug.

Pars offic. *Flores* et rarius *Herba Verbasci.* Herba Maio mense colligitur, flores caute siccandae sunt, temperie sicca ne mucore destruantur aut colorem amittant. *Qualit.* Planta recens odore ingrato praedita, corollae siccatae suaveolentes. Sapor corollarum est dulcis mucilaginosus, mucilaginem enim cum saccharo continent; herbae vero sapor est mucilaginosus, subamarno leniter adstringens, quum in iis mucilago cum parte quadam extractivi principii sit commixta. *Usus.* Flores speciebus pectoralibus adduntur, deinde et gargarisma praebent. Folia eodem modo adhiberi possunt verumtamen his potius ad cataplasmata et fomentationes parandas utimur. *Praeparata* sunt obsoleta, fuere *Oleum coctum* et *Conserva Verbasci.*

V. *nigrum.* foliis oblongo-cordatis petiolatis undulato-crenatis subpubescentibus. — WILLD. LINN. sp, pl. I. p. 1004. n. 8. BAUMG. Fl. Lips. p. 118. n. 325.

Am Kickerlingsberg, praeterea ad vias inprimis vero in pagorum coemeteriis. Facillime primo adspectu a praecedenti dignoscitur. Flores iisdem quibut illius viribus gaudent.

DATURA. *Corolla* infundibuliformis, plicata. *Calyx* tubulosus, angulatus: deciduus: basi orbiculo persistente. *Capsula* quadrivalvis, quadrilocularis, laevis aut spinosa.

D. *Stramonium*, pericarpiis spinosis erectis ovatis, foliis ovatis sinuatis glabris basi in petiolum attenuatis. PERS. synops I. 216. n. 2. BAUMG. Fl. Lips. p. 116. n. 319. *Icon.* BLACKW. Hb. 313. SCHK. bot. Hdb. t. 43. HAYNE IV. 7.

Radix annua, lignosa, crassa; caulis erectus ramosus, glaber, carnosus, teres, 1—3 pedalis; rami patenti-divergentes; folia magna, petiolata ovata, sinuato-dentata, acuta, glabra, obscure viredia, divaricata, axillaria; flores brevipedunculati; capsula ovata, erecta, spinosa.

Loc. natal. Passim in ruderatis crescit, ad pagos, in hortorum reiectamentis v. c. prope Sellerhausen, Kripäne, sed magis magisque numero minutum occurrit. Prope Rögliz et in Thuringiae vineis haud raro legitur. Floret Jul. — Septbr.

Offic. *Herba* et *Semina Stramonii* s. *Daturae.* Semina reniformia nigra rugosa. *Qualit.* Planta recens odore ingrato temulante praedita, semina inodora. Sapor herbae recentis nauseosus, seminis viroso-narcoticus. Principii narcotici permultum inest, acrimonia

quadam admixta. *Vires.* Planta virosa, venenata, temulenta, stupefaciens, inebrians, phantastica, antispastica, drastica, necans. *Usus.* Störkius est commendator extracti e succo plantae, quod in diris convulsionibus epilepticis et furore maniacorum felici successu exhibuit. Antidota optima praedicantur: olea expressa, lac, acetum et alia acida vegetabilia, vomitoria et clysmata. *Usus* externus ad discutiendos tumores in gangraena, ambustis, varice ani, iam veteribus innotuit. *Praeparata.* *Extractum* et *Oleum Stramonii.*

cf. Ant. v. STOERK libell. de Stramonio, Hyoscyamo et Aconito. Wien 1762. in lingu. vernac. translata: Zürich 1763.

HYOSCYAMUS. *Corolla* infundibuliformis, obtusa, irregularis. *Stamina* inclinata. *Capsula* operculata, bilocularis.

H. *niger*, foliis radicalibus pinnatifido-sinuatis, superioribus amplexicaulibus angulatis, floribus subsessilibus, corollis reticulatis WALLR. ann. bot. p. 30. n. 40. LINN. WILLD. sp. pl. I. p. 1010. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 116. n. 320. *Icon.* BLACKW. Herb. tab. 550. SCHK. bot. Hand. t. 44. HAYNE I. 28.

Radix biennis, elongata, ramosa, tenax, rugosa, digiti crassitie fusca, intus albida; caulis erectus; simpliciusculus, villosus, viscosus, 1—4 pedalis; folia alterna, sessilia, ovato-lanceolata, amplexicaulia, sinuato-dentata vel sinuata, villosa, subviscosa; flores sessiles in

spica terminali, unilaterali, laxa; calyx monophyllus, tubulosus, basi ventricosus, quinquefidus, persistens, villoso-viscosus; Corolla sulphureo- lurida, violaceo-venosa; Semen parvum, subrotundo-reniforme, rugoso-reticulatum, subcompressum, cinereum.

Loc. natal. In ruderatis, coemeteriis, muris pagorum, ad vias, v. c. in dem Kohlgärten, ad patibulum, copiose in coemeteriis pagorum Zwochau et Sommerfeld etc. Floret Maio — Septbr. In scrobibus imprimis montanis plantam altissmam et magis obesam inveni.

Pars offic. *Herba* et *Semen Hyoscyami nigri*, antea et *Radix*. Herba ante florescentiam mense Maio decerpenda; leni calore ne volatiles particulae aufugiant, siccanda deinde in pulverem redacta in vitris bene clausis servanda. Herba recens *Extractum* praebet. Radicem mense Martio et Aprili collegerunt olim. *Qualit.* Herba recens odorem ingratum virosum, caput gravescentem, semen eundem inprimis dum in carbones spargitur spirat; sapore herba recens praedita est valde nauseoso, ingrato, siccata sicuti semen subamaro; radix dulci nauseoso. Seminibus inest oleum unguinosum, principii narcotici multum toti plantae recenti, minus siccatae, aqua optime extrahendum. *Vires.* Planta virosa, temulanta, stupefaciens, anodyna, antispastica, resolvens. Nimia dosis vel abusus creat vertiginem, cephalalgiam, soporem, coecitatem, pa-

ralyses, asphyxias, convulsiones, furorem, haemorrhagias, haud raro necat. Antidota sunt emetica, deinde acetum vini. *Usus* est eximius in parva dosi ad solvendos spasmos tonicos et clonicos, in hysteria, tussi convulsiva, colica, deinde etiam in morbis pectoralibus ex nimia incitabilitate pulmonum, in melancholia, mania, epilepsia, rheumatismo. Externe saepe applicamus herbam ad tumores resolvendos. *Praeparata. Extractum, Oleum coctum, Unguentum* et *Emplastrum Hyoscyami.*

cf. STOERK libell. c. v. Stromonium.

Nicotiana rustica. LINN. WILLD. sp. pl. I. 1014. n. 3. sola Nicotianae species quae hodie Lipsiae inprimis ad pagos Stötteritz, Probsthaide, am Berge etc. colitur, etiam inter plantas narcoticas referenda.

Nicandra physaloides. GAERTN. PERS. synops. I. p. 219. n. 1. *Atropa physaloides* LINN. WILLD. sp. pl. I. 1017. n. 5. planta non minus narcotica quam quasi sponte crescentem passim in reiectamentis hortorum suburbanorum Lipsiae atque in pagis vicinis legi.

PHYSALIS. *Corolla* campanulato-rotata. *Stamina* conniventia. *Bacca* intra calycem inflatum, bilocularis.

Ph. *Alkekengi*, foliis geminis integris acutis, caule herbaceo inferne subramoso. LINN. WILLD. sp. pl. I. p. 1022. n. 9. In BAUMG. Fl. Lips. desideratur. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 161.

Haud raro in hortis suburbanis et copiose in vineis versus Thuringiam crescit; usus *Baccarum, Herbae* et *Seminis Alkekengi* s. *Solani vesicarii* obsoletus, quamquam vi diuretica pollet.

SOLANUM. *Calyx* persistens. *Corolla* rotata, aut campanulata quinqueloba, plicata. *Antherae* subcoalitae, apice progemino dehiscentes. *Bacca* bilocularis, polysperma.

S. *Dulcamara*, caule inermi fruticoso scandente, foliis cordatis glabris, superioribus auriculatis, corymbis oppositifoliis. LINN. WILLD. I. p. 1028. n. 15. BAUMG. Fl. Lips. p. 119. n. 328. *Icon.* BLACKW. Herb. 34. HAYNE II. 39.

Radix perennis, fibrosa; caulis suffrutescens, 10 — 15 pedalis, inermis, scandens vel decumbens, flexuosus, angulatus, ramosus; folia petiolata, alterna, glabra; inferiora cordata, integra; caulina hastata vel triloba, flores cymosi; cymae oppositi-foliae, cernuae: baccae oblongae, coccineae, corollae violaceae, antheris croceis.

Loc. natal. Habitat in sepibus, inprimis ad ripas fluviorum, locis paludosis, in salicetis, ad fossas, stagna, Lipsiae vulgare, v. c. in prato Vogelwiese, ad pontem im Rosenthal prope Gohlis etc. Floret Jun. — Aug.

Variat foliis omnibus uniformibus ovato-cordatis.

Pars offic. *Stipites Dulcamarae* s. *amarae dulcis* sunt caules iuniores s. turio-

nes plantae (rarius radices), epidermide sulphurea tecti, sub hac virides, verno tempore ante foliorum explicationem vel autumno, post eorum delapsum collecti et siccati. *Qualit.* Odor recentium stipitum est nauseosus, siccatorum vero nullus, sapor amarus demum subdulcis. Principium extractivum saponaceum, in se cum partibus resinosis acribus ac volatilibus continent, optime aqua extrahenda. *Vires.* Medicamentum resolvens, stimulans, diureticum, diaphoreticum. *Usus.* Adhibendi sunt ad incitandas vires nervorum tum plexuum abdominalium tum pectoralium tum cutaneorum, itaque usus eximius in chronicis exanthematibus, scrophulis, morbo venereo. *Praeparata Extractum Dulcamarae.* Speciebus lignorum subest.

S. *nigrum*, caule inermi herbaceo, ramis compresso-teretibus glabris, foliis ovatis dentato-angulatis glabris, racemis subumbellatis intra foliaceis pedunculatis. HAYNE. II. 40. S. *nigrum α. vulgatum.* LINN. WILLD. sp. pl. I. p. 1035. n. 39. S. *vulgatum.* BAUMG. Fl. Lips. p. 120. n. 330. *Icon.* BAUMG. Herb. t. 107. SCHK. bot. Handb. 46. HAYNE. l. c.

S. *villosum*, caule inermi herbaceo, ramis teretibus hirtis, foliis ovatis dentato-angulatis villoso pubescentibus, racemis subumbellatis intra foliaceis pedunculatis. HAYNE II. 41. S. *nigrum γ. villosum.* LINN. WILLD. I. p. 1035.

Pers. synops. I. p. 224. 54. Baumg. Fl. Lips. p. 121. n. 331. (baccis nigris; acinis luteis.)

Bacca subglobosa, matura crocea, apice puncto notata. Observante Wallroth (ann. bot. pag. 31.) non a S. *nigro* diversum.

Utraque planta Lipsiae in ruderatis inprimis ad pagos vicinos vulgaris narcotica. Olim anodyna refrigerans, repellens habebatur et in inflammationibus, Proctalgia, Scirrho, Paronychia potius vero in exanthematibus chronicis adhibuerunt veteres. *Praeparata Extractum. Aqua, oleum coctum* et *emplastrum Solani vulgaris* s. *nigri* vix hodie prostant in officinis, quamvis altera certe species moschum spirans vires haud vulgares prodere videtur.

S. *tuberosum* Linn. Willd. sp. pl. I. 2033. n. 31. planta ubique apud nos culta notissima, cuius herba etiam principio narcotico non eget; inprimis vero baccis et tuberibus radicum immaturis inest.

RHAMNUS. *Calyx* tubulosus. *Corollae* squamae stamina munientes calyci insertae. *Bacca.*

Rh. *catharticus* spinis terminalibus, floribus quadrifidis dioïcis, foliis ovatis. Linn. Willd. sp. pl. I. p. 1092. Baumg. Fl. Lips. p. 129. n. 350. *Icon.* Blackw. Herb. t. 135.

Rh. *Frangula*, inermis, floribus monogynis hermaphroditis, foliis integerrimis. Linn. Willd. sp. pl. 1098. n. 20. Baumg. Fl. Lips. p. 128. n. 349. *Icon.* Blackw. t. 272.

Arbor utraque indigena communis in nemorosis humidiusculis. Rhamni cathartici s. *Spinae Cervinae baccae* nec non *Cortex Frangulae* a veteribus nonnunquam adhibita sunt, illae purgantes in cachexia, arthritide, hic eodem fine in Hydrope ac scabie.

EVONYMUS, *Corolla* pentapetala. *Capsula* pentagona, trilocularis, trivalvis, colorata. *Semina* calyptrata.

E. *europaeus*, floribus plerisque tetrandris, pedunculis compressis multifloris. stigmatibus subulatis foliis glabris. AIT. Kew. 1. p. 273. LINN. WILLD. sp. pl. I. 1130. n. 3. BAUMG. Fl. Lips. p. 129. n. 109.

Folia et capsulae vomitum creant, in medicina iis non utimur.

Ribes rubrum. LINN. WILLD. sp. pl. I. 1153. no. 1. *Grossularia* p. 1158. n. 13. *uva crispa* n. 14. et passim etiam *nigrum* p. 1156. n. 8. in hortis culta occurrunt iisque ad conservam, syrupum, vinum et condimenta paranda interdum opus est. Ribes nigrum praeterea laudatur ab antiquis scriptoribus in rabie canina, dysenteria.

VIOLA, *Calyx* pentaphyllus. *Corolla* pentapetala, irregularis, postice cornuta (aut ecalcarata.) Antherae apice membranula cohaerentes, aut distinctae, *Capsula* supera, trivalvis, unilocularis.

V. *odorata*, acaulis, foliis cordatis, stolonibus reptantibus. LINN. WILLD. sp. pl. 1163. n. 12. BAUMG. Fl. Lips. p. 489. n. 1168. *Icon.* BLACKW. Herb. 55. HAYNE III. 2.

Planta annua, notissima, in hortis ubique in silvis passim sponte crescit; variat haud raro petalis albis. Floret a Martio per totam aestatem. *Herba*, *Flores* et *Radix Violae* s. *Violariae* s. *Martiae* a veteribus ordinata sunt ad praeparandam conservam, oleum coctum, mel et Syrupum. Hodie nonnisi Syrupus in officinis prostat. Radix emetica, folia vulneraria.

P. *canina*, caule adultiore adscendente caniculato, foliis oblongo-cordatis, calycibus lanceolatis acutis. WILLD. Enum. Horti Berol. p. 264. n. 7. sp, pl. I. p. 1164. n. 13. BAUMG. Fl. Lips. p. 490. n. 1169. *Icon.* HAYNE III. 3.

Vulgaris in silvis et pratis, per aestatem apetala saepius. Radix Ipecacuannae similem in humanum organismum vim exserere dicitur.

V. *tricolor*, caule angulato diffuso, foliisque oblongis dentato-crenatis glabris, stipulis lyrato-pinnatifidis. SMITH. brit. 1. p. 248. Cor. obscure violacea petalo inferiore flavo macula apicis violacea Icon. HAYNE III. 5.

Var. β. V. *arvensis*, caule angulato sulcato, foliis ovato-lanceolatis serratis, stipulis basi incisis, calyce pubescente corolla sublongiore. PERS. Synops. I. p. 255. n. 31. Petala albida macula basilari flava. *Icon.* HAYNE III. 4.

Utraque planta notissima crescit in agris prope Lipsiam frequens, in agris prope Zschocher transitus alterius varietatis in alteram apparet luculenter. Floret a Martio per aestatam.

Pars offic. *Herba* et *Flores Jaceae* s. *Violae tricoloris* s. *Trinitatis* vere et aestate a herbipolis quaeruntur. *Qualit.* Planta nisi teritur ubi amygdalis similem odorem spargit, inodora; masticata sapore amaricante subaromatico linguam acrimonia vellicat. Oleum aethereum, principium extractivum et gummosae partes non desunt. Urina aegrotorum qui hoc medicamento usi sunt foetore urinam felinam aemulante memorabilis. *Vires.* Stimulat ventriculum, abusus vomitum et alvum liquidam creat; imprimis vero vim exserit diureticam diaphoreticamve. *Usus,* In morbis cutaneis chronicis remedium praestans, inprimis in crusta lactea infantum, serpiginosa, tinea capitis, achoribus. *Praeparata.* *Pulvis*, *Aqua destillata*, *Extractum* et *Syrupus Jaceae.* cf. STRACK de crusta lactea infantum Francof. 1779. 8. Aug. HAASE diss. Erl. 1782. 4.

IMPATIENS. *Calyx* diphyllus. *Corolla* pentapetala, irregularis, nectario cucullato. *Antherae* connatae. *Capsula* supera. quinquevalvis.

1. *Nolitangere,* pedunculis multifloris solitariis, foliis ovatis, geniculis caulinis tumentibus. LINN. WILLD. sp. pl. I. 1176. n. 12. BAUMG. Fl. Lips. p. 493. n. 1175.

Plantam ante paucos annos in umbrosis ad fossas pratenses prope Gohlis ipse vidi; copiose crescit in Thuringiaca silva ad scaturigines. Diuretica dicitur, in mammarum indura-

tionibus in infuso cum calamo aromatico vim eius salubrem praedicat cel. Willdenow.

HEDERA. *Petala* quinque, oblonga. *Bacca* pentasperma, calyce cincta.

H. *Helix* foliis quinqueangularibus, quinquelobisque, floralibus ovatis, umbella erecta. WILLD. LINN. sp. pl. I. p. 1779. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 132. n. 357. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 188. SCHK. bot. Handb tab 49. HAYNE IV. 14.

In silvaticis v. c. im Rosenthal in arborum corticem radicans; praeterea et hortorum muros et parietes elegantissime vestire videmus. *Lignum*, *Folia*, *Baccae* et *Gummi Hederae arboreae* obsoleta sunt medicamenta, vis iis adscribebatur vulneraria, sophisticans.

Vitis vinifera LINN. sp. pl. ed. WILLD. I. p. 1180. n. 1. planta notissima culta officinalis.

VINCA, Contorta. *Folliculi* duo, erecti. *Semina* nuda.

V. *minor* caulibus procumbentibus; foliis oblongo lanceolatis margine glabris; floribus pedunculatis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. I. 1232. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 119. n. 327. *Icon.* BLACKW. Herb. tab. 59. SCHK. bot. Hdb. tab. 51.

In silvaticis umbrosis, v. c. prope Lindenthal, in silva academica etc. Olim *Herba Vincae Pervincae* in hamorrhagiis et morbis pectoralibus ob vires adstringentes oommendata, hodie efficatioribus remediis inventis superflua.

CYNANCHUM Contorta. *Corolla* rotata. *Nectarium* cylindricum, quinquedentatum, *corolla* faucem ambiens, simplex. *Folliculi* duo.

(** VINCETOXICUM. Corolla erecta. *Nectarium* squamulas s. callas quinque, carnosas retusas sistens.

C. *vulgare*, caule erecto, foliis ovatis acuminatis margine tenuisme ciliatis. PERS. synops. I. p. 274. n. 37. *Asclepias Vincetoxicum.* LINN. sp. pl. ed. WILLD. I. p. 1263. n. 23. *Vincetoxicum officinale* MOENCH. method. p. 717. BAUMG. Fl. Lips. p. 134. n. 361.

In locis montosis calcareis, collibusque silvaticis v. c. am Bieniz.

Radix Vincetoxici s. *Hirundinariae* inter sudorifera, diuretica, emmenagoga a veteribus relata, nunc obsoleta. Vis praeterea antarthritica ei inesse putabatur specifica. Facile vomitum excitat ob resinam et acre principium quod exhibet.

ERYTHRAEA. *Calyx* appressus, subpentagonus quinquedentatus. *Corolla* infundibuliformis: tubo longo. *Antherae* post anthesin spiraliter contortae. *Stigmata* duo approximata: rarius simplex. *Capsula* sublinearis, unilocularis. *Receptacula* duo distantia.

E. *Centaurium*, foliis oblongo-ovalibus basi rosaceis congestis, caule elongato, floribus fasciculato-paniculatis PERS. synops. I. p. 283. n. 1. *Gentiana Centaurium.* LINN. syst. veget. XV. ed. PERS. p. 283. n. 24. BAUMG. Fl. Lips. p. 135. n. 363. *Chironia Centaurium.* LINN. sp. pl. ed. WILLD. I. p. 1068. n. 9. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 452. SCHK. bot. Hdb. t. 59. HAYNE I. 29.

Radix annua simplex, subfibrosa; caulis erectus, simplex summitate trichotomus, tetragonus, glaber semi — 1 pedalis. Folia opposita, sessilia, oblongo-ovata, obtusa, integerrima, glabra, trinervia; Calyx pentagonus, quinquefidus, laciniis subulatis erectis; corolla infundibuliformis, tubo basi subventricoso, fauce coarctata, limbo quinquefido, laciniis ovatis planis roseis; stylus simplex.

Loc. natal. Habitat in locis silvaticis humidiusculis, etiam in pascuis et collibus silvaticis v. c. prato Vogelwiese, prope Leutsch et Lindenau, am Gesundbrunnen, in silva academica copiose hinter der Försterwohnung. Floret Jun. — Aug.

Pars offic. *Herba* et *Flores* s. *Summitates Centaurii minoris* collignntur tempore florescentiae. *Qualit.* Planta inodora, corollis exceptis sapore amarissimo insignis. Extractum suppeditat illi ex Gentianae luteae radice parato haud dissimile. *Vires.* Tonica, antifebrilis, diluens, diaphoretica, antiseptica. *Usus* in atonia viscerum abdominalium, inprimis tractus intestinorum pluribusque morbis inde ortis remedium aptissimum. *Praeparata.* *Pulvis*, *Extractum* et *Sal Centaurii* minoris, olim et *Aqua*, *Essentia*, *Conserva* et *Syrupus*.

E. *ramosissima*, Pers. caule ramosissimo divaricato dichotomo deliquescente, floribus ex dichotomia terminalibusque, calycibus ebractea-

tis; corollae tubo brevioribus, foliis inferioribus ovatis. WALLR. ann. bot. p. 45. n. 56. PERS. synops. I. p. 285. n. 5. *Chironia* EHRH. Herb. 124. *Chironia Gerardi* SCHMIDT boh. l. n. 131. *Ch. Centaurium β.* LINN. sp. pl. ed. WILLD. I. p. 1068. n. 9. *Ch. pulchella* SPRENG. Fl. Hal. p. 74. BAUMG. Fl. Lips. p. 135. sub *Gent. Centaur.*

In pratis humidis, ad salinas pr. Koetschau et Teudiz, nuper etiam ad viam Merseburgensem inveni.

E. *inaperta*, pumila simplex ramosaque foliosa, foliis ovatis, floribus ternis limbo connivente acuto. PERS. synops. I. p. 283. *E. ramosissima. β. Chir. inaperta.* LINN. sp. pl. ed. WILLD. I. p. 1069. n. 10. *Icon.* HAYNE I. 30.

Passim in pascuis v. c. Vogelwiese, frequens ad salinas.

Viribus utraque haec species distincta non discrepat ab E. Centaurio, eodem certe amarissimo gaudet sapore.

DIGYNIA.

GENTIANA *Corolla* monopetala. *Capsula* bivalvis, unilocularis, *Receptaculis* duobus, longitudinalibus.

G. *cruciata*, corollis quadrifidis imberbibus, floribus verticillatis sessilibus, foliis decussatis connato-vaginantibus PERS. synops. I. p. 284. n. 9. LINN. sp. pl. ed. WILLD. p. 1334. n. 8. SCHWAEGRICH. Topogr. Lips. IV. p. 5.

In collibus silvaticis et pascuis, apud nos

nonnisi in loco a Radloffio invento in pratis prope Dölzig am Bieniz ipse legi.

Radix et *Folia Gentianae cruciatae* s. *Gentianae minoris*, quum planta non admodum vulgaris sit apud nos non prostant, iisdem verumtamen quibus Gentianae luteae viribus praedita.

G. *Pneumonanthe*, corollis quinquefidis campanulatis acuminatis axillaribus pedunculatis, foliis sub-linearibus obtusis. FROEL. LINN. sp. pl. ed. WILLD. I. p. 1336. n. 12. BAUMG. Fl. Lips. p. 135. n. 362.

Copiose legitur Jul. — Septb. florens in pratis uliginosis prope Rückmarsdorf et Kleindölzig, passim prope Leutzch.

Radix et *Flores Pneumonanthes* et *Herba Antirrhini coerulei* olim servabatur in officinis; quum vero vis eorum expectorans non fuerit probata nunc obsoleta.

CUSCUTA. *Calyx* quadri - quinquefidus. *Corolla* quadri - quinquefida. *Capsula* bilocularis, basi circumscissa. *Semina* bina.

C. *vulgaris*, florib. subsessilib. corolla 4-5 andra fauce nuda, stigmatibus acutis. PERS. synops. I. p. 289. n. 1. LINN. sp. pl. ed WILLD. II. p. 702. n. 1. (*Cuscuta europaea α.*) BAUMG. Fl. Lips. p. 96. n. 270.

C. *Epithymum*, florib. sessilibus, staminibus basi sqama crenata munitis. SPRENG. Fl. Hal. p. 83. n. 282. SCHWAEGRICH. topogr. IV. p. 4.

Crescit in humilibus plantis pratorum depres-

sorum Vogelwiese, alte Funkenburg et alibi, minor et tenerior quam. C. *Eur opaea*, nec facile in dumeta ascendens.

Cusutae Europeae s. *maioris* s. *Epithymi officinarum* et Cuscutae Epithymi L. s. *Herbae Epithymi cretici* vires resolventes, laxantes et diaphoreticae non sufficiunt ad earum usum cantinuandum itaque iam diu obsoleta sunt.

HERNIARIA. *Calyx* quinquepartitus. *Corolla* nulla. *Stamina* quinque sterilia. *Capsula* monosperma.

H. *glabra*, glabra glomerulis multifloris. LINN. sp. pl. ed. WILLD. I. p. 1296. n. 1. BAUMG. Fl. Lips, p. 139. n. 376. *Icon.* BLACKW. Herb. tab. 529. SCHK. bot. Handb. t. 56.

Etiam huius plantae quae in locis sabulosis haud infrequens occurrit vires sunt nullae, itaque iure meritoque aliis praevalentibus plantis locum cessit.

ULMUS. *Calyx* campanulatus quinquefidus. *Corolla* nulla. *Capsula* (Samara) compressa, membranaceo - alata.

U. *campestris*, foliis duplicato-serratis basi inaequalibus, floribus subsessilibus conglomeratis pentandris, fructibus glabris. LINN. sp. pl. ed. WILLD. I. p. 1324. n. l. BAUMG. Fl. Lips. p. 140. n. 378. *Icon.* SCHK. bot. Hdb. t. 57. HAYNE III. 15.

U. *effusa*, foliis duplicato serratis basi inaequalibus. florib. octandris pedunculatis effusis, fructibus margine ciliatis. WILLD. arb. 393. SCHWAEG-

RICH. Topogr. IV. p. 6. *Ulmus ciliata.* EHRH. Beitr. 6. p. 88. *Icon.* SCHK. bot. Hdb. t. 57. b* (*Ulmus octandra*). HAYNE III. 17.

Utraque arbor speciosa; altera crescit cum U. suberosa WILLD. n. 2. SCHWAEGRICH. p. 5. HAYNE III. n. 16. in silvis nostris nec non ad pagos, altera non rarior in ambulacris, ad sepes.

Pars offic. *Cortex Ulmi* interior ab utraque arbore delibratur tempore verno e ramis triennibus et quadriennibus aut arborum iuniorum stirpibus. *Qualit.* Inodora, amara, adstringens, subacris et mucilaginosa. Praebet principium extractivum, adstringens et partes mucilaginoso-gummosas, pauxillum resinae et natri muriatici. *Vires.* Tonica, adstringens. *Usus.* In morbis exanthematicis chronicis inprimis celebrandus, externe ad gangarismata, fotus, lotiones aptissimum remedium. cf. SCHREGER diss. Erlang.

CHENOPODIUM. *Calyx* pentaphyllus, pentagonus. *Corolla* nulla. *Semen* unum, lenticulare. superum.

Ch. *bonus Henricus.* foliis triangulari-sagittatis integerrimis, spicis compositis aphyllis axillaribus. LINN. sp. pl. ed. WILLD. I. p. 1299. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 136. n. 364. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 311. SCHK. bot. Hdb. t, 56.

Planta oleracea rustica vulgaris, virtutibus ad discutiendos tumores egregia, minoris quam meretur aestimata.

Ch. *hybridum,* foliis cordatis angulato-acuminatis, racemis nudis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. I. p. 1303. n. 13. BAUMG. Fl. Lips. p. 137. n. 370.

Ch. *rubrum*, foliis cordato-triangularibus obtusiusculis dentatis. racemis erectis compositis subfoliosis caule brevioribus. Linn. sp. pl. eo. Willd. I. p. 1300. n. 6. Baumg. Fl. Lips. p. 136. n. 366.

Ch. *album*, foliis rhomboideo-triangularibus erosis postice integris; summis oblongis, racemis erectis. Linn. sp. pl. ed. Willd. p. 1302. n. 11. Baumg. Fl. Lips. p. 137. n. 368.

Ch. *olidum*, foliis rhombeo-ovatis integerrimis, racemis conglomeratis. Curt. n. 60. *Chenopod. Vulvaria* Linn. sp. pl. I. p. 1305. n. 19. Baumg. Fl. Lips. p. 138. n. 372.

Singulae species ex indigenis minus merentur commendationem, a veteribus vario modo usurpatae. Ch. hybridum suspectum est, adeo homines temulentes reddit.

Beta rubra. Linn. sp. pl. ed. Willd. I. p. 1308. n. 1. et *Beta Cicla.* Linn. p. 1309. n. 3. etiam Lipsiae ubique cultae usui medico porro non inserviunt.

U m b e l l i f e r a e.

A. Fructus compressi plani.

HERACLEUM. *Fructus* subrotundo-ovalis apice emarginatus plano-compressus marginatus, jugis tribus obsoletis valleculis ad dimidiam longitudinem maculatis, commissura plana bimaculata.

H. *Sphondylium*, foliis pinnatis, foliolis oblongis sinuato-dentatis, extimis biternatis confluentibus, subtus pedunculisque tomentosis. Wallr. ann. bot. 39. 64. Linn. sp. pl. I. 1421. n. 1. Baumg. Fl. Lips. p. 149. n. 401. *Icon.* Blackw. Herb. t. 540. Schk. bot. Handb. t. 67.

Speciosissima et sat vulgaris Florae nostrae umbellata pratensis, vix viribus dissolventibus, aperientibus, diureticis antea ei adscriptis insignis. *Offic.* olim *Herba Spondylii* s. *Brancae Ursi* s. *Ursinae.*

PEUCEDANUM. *Fructus* ovalis plano-compressus marginatus, jugis quinque obtusiusculis, valleculis striatis, commissura plana. (Involucra oligophylla.)

P. *officinale*, foliis quinquies tripartitis divaricatis, foliolis lineari-setaceis acuminatis; radice paleacea. WALLR. ann. bot. 40. 66. LINN. sp. pl. ed. WILLD. I. p. 1405. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 145. n. 390.

Frequens floret mense Jun. — Aug. in pratis am Bieniz, prope Dölzig, deinde prope Leutsch et passim ad pagos Raschwitz et Schleussig. *Radix Peucedani* s. *Foeniculi porcini* mense Aprili collecta atque epidermide fusca delibrata diuretica, diaphoretica atque resolvens habebatur.

FERULA. *Fructus* oblongo-lanceolatus plano compressus marginatus, jugis tribus obtusiusculis, valleculis striatis, commissura striata (Involucra varia.)

F. *graveoleus*. SPRENG. foliis triplicato-pinnatis, foliolis lineari filiformibus, vaginis ligulaeformibus margine membranaceis. WALLR. ann. bot. p. 40. n. 87. *Anethum graveolens.* LINN. sp. pl. ed. WILLD. I. 1469. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 159. n. 426. *Icon.* SCHK. bot. Handb. t. 77. BLACKW. Herb. t. 445.

Frequens occurrit in agris nostris cultum et quasi sponte, iisdem propemodum quibus Meum Foeniculum Spr. viribus praeditum, usui tamen culinari potius quam medicinali inservit.

PASTINACA. *Fructus* ovalis apice emarginatus plano-compressus marginatus, jugis quinque obsoletis, valleculis striatis, commissura bistriata. (Involucrum universale et partiale nullum.)

P. *sativa*, caule sulcato glabro, foliis pinnatis, foliolis ellipticis inciso-serratis decussatis semidecurrentibus, summis bi-trifidis glabriusculis. WALLR. ann. bot. p. 41. n. 68. LINN. sp. pl. ed. WILLD. p. 1466. n. 2. BAUMG. Fl. Lips. p. 158. n. 144. *Icon.* BLACKW. Herb. tab. 379. SCHK. bot. Handb. t. 76.

In pratis nostris locisque elatis gramineis sponte, in agris hortisque culta communis radicem bene sapidam nutrientem nec non diureticam praebet.

B. Fructus solidiusculi alati.

SELINUM. *Fructus* subrotundus basi emarginatus margine alatus, jugis tribus dorsalibus obsoletis, valleculis plano-convexis. (Invol. universale et partiale polyphyllum.)

S. *palustre*, lactescens, caule striato ramoso, foliis subtripinnatis vaginantibus, foliolis cuneatis, laciniis lineari-lanceolatis cuspidatis discoloribus, involucris polyphyllis margine membranaceis involutis. WALLR. ann. bot. p. 41. n. 69. LINN. sp. pl. ed. WILLD. I. p. 1597. n. 2.

In locis paludosis ubique. Jun. Jul. florens. Olim officinis *Radicem Tysselini* s. *Olsnitii* suppeditavit.

S. *silvestre*, caule laevi, radice fusiformi multiplici. LINN. sp. pl. ed. WILLD. p. 1396. n. 1. *Selinum* corollulis explicatis, foliis ovato-lanceolatis, semine oblongo, plano. CRANZ. I. p. 177. n. 11. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 556. SCHK. bot. Hdb. 63.

Idem ac antecedens ex opinione cel. WALLR. In silvaticis: Rosenthal, Lindenthal, Schoenfeld. Succus radicis acerrimus. *Radix Oelsnitii* s. *Elsnitii* olim officinalis.

S. *Oreoselinum*. CRANTZ. caule petiolisque dichotomis, foliis triplicato-pinnatis divaricatis, foliolis inciso-serratis obtusiusculis oblongis basi cuneatis, involucris omnibus setaceis. WALLR. ann. bot. p. 41. n. 70. *Athamanta Oreoselinum*. LINN. spec. pl. ed. WILLD. I. p. 1403. n. 6. BAUMG. Fl. Lips. p. 142. n. 383. *Icon* SCHK. bot. Hdb. t. 64.

In pascuis montosis et agrorum versuris am Bieniz. et prope Kleinwetteritsch crescit. Jul. Aug. florens.

Herba, olim et *Radix* et *Semen Oreoselini* colligebantur. Foliorum infusum theiforme suaveolans, et bene sapidum.

ANGELICA. Fructus ellipticus compresso solidiusculus corticatus, jugis tribus dorsalibus acutis, valleculis sulcatis, margine alatus. (Involucrum nullum)

A. *silvestris*, foliis pinnatis, foliolis ovatis inaequaliter decurrentibus mucronato-serratis, va-

ginis laxis ochreatis, caule superiore pedunculisque incano-tomentosis. Wallr. ann. bot, p. 42. n. 72. Linn. sp. pl. I. 1429. n. 2. Baumg. Fl. Lips. p. 152. n. 409. *Icon.* Schk. bot. Hdb. t. 68.

Umbellata Heracleo vix minor nec minus frequens in pratis nostris, humidusque locis silvaticis, laudatur ob vim radicis stimulantem, tonicam illi Angelicae Archangelicae. Linn sp pl. ed. Willd. sp. 1426. n. 1. vix indigenae similem sed debiliorem.

C. Fructus utriculati.

CICUTA. Fructus subglobosus, utriculo adpresso, jugis quinque obtusis, valleculis maculatis.

C. *virosa*, foliis biternatis, foliolis lanceolatis serratis acutis subdecurrentibus, vaginis in petiolos abeuntibus. Wallr. ann. bot. p. 43. n. 76. Linn. sp. pl. ed. Willd. I. p. 1445. n. 1. Baumg. Fl. Lips. p. 158. n. 423. *Icon.* Blackw. Herb. t. 574. Schk. bot. Handb. t. 71. hayne I. 37.

Radix perennis, crassa, articulata, albida, undique fibris crassis fuscescentibus instructa; fistulosa, dissepimentis transversis; caulis erectus, crassus, teres, fistulosus, nudus, obsolete striatus, brachiatus, 3 — 6 pedalis; folia glabra; radicalia supradecomposita; caulina alterna, inferiora pinnato-decomposita, superiora pinnato-composita; foliola lanceolata, argute serrata, in petiolum subdecurrentia; extima profunde triloba; petioli teretes, fistulosi, nudi, basi vaginantes, membranaceo-marginati; umbellae terminales aut oppositi-foliae, subaequales, multifidae; um-

bellulae multi-florae, hemisphaericae; involucrum universale subnullum; partiale polyphyllum; phylla linearia, externa umbellulis longiora, reliquis latiora, subserrata; corolla pentapetala: petalis aequalibus emarginato cordatis; Fructus hemisphaericus geminus, costatus, stylo reflexo coronatus.

Loc. natal. Planta nimis virosa in paludibus, inprimis in fossis aqua repletis inter prata prope Schoenfeld et Schleussig nec non hinter dem Brandvorwerk et alibi crescit. Floret Jul. Aug.

Offic. *Herba* et *Radix Cicutae virosae* s. *aquaticae*, rarius hodie prostant. *Qualit.* Odor temulentus plantae recentis; sapor seminis illum Petroselini protinus aemulatur, dein acerrimus. Herba et Semina siccata innoxia prope. *Vires.* Facile virosarum nostrarum primaria, narcotica, anodyna, dissolvens. *Usus* planta recens eodem modo in corpus agit quo Conium maculatum, rarius vero adhibita, incerta, suspecta, periculosa. Externe imposita dissolvit tumores scrophulosos et arthriticos.

D. Fructus corticati.

Coriandrum sativum. LINN. sp. pl. ed. WILLD. I. p. 1448. PERS. SPRENG. planta omnino salubris apud nos nonnisi quasi sponte raro occurrit, colitur versus oppida Brehna, Landsberg etc.

AETHUSA. *Fructus* ovatus solidiusculus, jugis quinque acutis turgidis, valleculis acutangulis, commissura plana striata. (Involucr. dimidiatum aut nullum.)

Ae. *Cynapium*, foliis bipinnatis, foliolis subtrifidis, extremis in petiolos decurrentibus, subtus lucidis, involucris universalibus dimidiatis setaceis reflexis. WALLR. ann. bot. p. 44. n. 78. LINN. sp. pl. ed. WILLD. p. 1446. n. 1. BAUMG. Fl Lips. 153. n. 411. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 517. SCHK. bot. Handb. t. 72. HAYNE I. 35.

Radix annua, fusiformis, subramosa, fibrosa albida; caulis erectus, teres, striatus, glaber pruinosus, fistulosus, 1—3 pedalis, dichotomoramosus; folia alterna, glabra, nitida, conformia, inferiora pinnato-supradecomposita, superiora pinnato-decomposita; foliola incisa, laciniis lanceolato-linearibus; petioli semiteretes, canaliculati, solidi, basi vaginantes striati membranaceo-marginati; umbellae terminales vel axillares vel oppositifoliae, pedunculatae, inaequales, multifidae, planae, radiis mediis minimis; involucr. univ. nullum, partiale triphyllum, unilaterale, reflexum, phyllis umbellalas superantibus, linearibus; corolla pentapetala: petalis inaequalibus, emarginato-cordatis; flores omnes fertiles; Semen geminatum, subhemisphaericum, latere convexo quinque-costatum, latere plano subsulcatum.

Loc. natal. Habitat inter plantas oleraceas iusto frequentior. Floret. Jul. Aug. Pars officinalis nulla est at planta venenata mentione eget. Folia recentia digitis trita Allium spirant; vires sunt narcoticae acres, Cicutae haud absimiles, nec fonte inferiores. Apium Petroseli-

num, ubi characteris certioris ratio nulla habeatur, refert.

F. Fructus armati.

DAUCUS. Fructus oblongus solidiusculus, jugis primariis secundariisque aculeato-setosis. (Involucrum, pinnatifidum.)

D. *Carota*, caule petiolisque hirsutiusculis, foliis tripartitis, foliolis cuneiformi-ovatis profunde incisis mucronatis, involucellis subciliatis. WALLR. ann. bot. p. 44. n. 79. LINN. sp. pl. ed. WILLD. I. p. 1389. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 143. n. 384. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 546. SCHK. bot. Hdb. t. 61.

Var. *β. silvestris*, flosculo rubro centrali sterili.

Planta vulgatissima ubique spontanea et culta radice utilis. Radix recens nutriens, demulcens, resolvens, mundificans, anthelmintica; externe quoque adhibenda in ulceribus inveteratis, panaritio etc. *Roob Dauci* et *Saccharum* pectoralia, bechica.

TORILIS *Adans. Fructus* ovalis ecostatus undique hispidus. (Invol. univ. nullum; partiale polyphyllum)

T. *Anthriscus*, GMELIN. foliis bipinnatis, foliolis oppositis inciso-serratis mucronatis, extremo elongato, cauleque teretiusculo pilis adpressis scabris. WALLR. ann. bot. p. 45. n. 82. *Caucalis Anthriscus.* LINN. sp. pl. ed. WILLD. I. p. 1388. n. 11. *Tordylium Anthriscus.* BAUMG. Fl. Lips. p. 150. n. 404. *Icon.* HAYNE 1. 36.

In ruderatis, ad hortos, muros frequens, suspecta, Chaerophyllo temulo habitu similis, minus Conio.

SANICULA. *Fructus* lanceolatus ecostatus, undique setis uncinatis hispidus. Umbella capitata. (Inv. polyphyllum.)

S. *europaea*, foliis inferioribus quinque-lobis, laciniis cunei-formibus trifidis mucronato-serratis marginatis, flosculis umbellulae trifidae sessilibus capitatis. WALLR. ann. bot. p. 46. n. 83. LINN. sp. pl. ed. WILLD. I. p. 1366. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 141. n. 381. *Icon.* BLACKW. Herb. tab. 63. SCHK. bot. Hdb. t. 60.

ANTHRISCUS. *Fructus* oblongus teres apice attenuatus muricatus, commissura sulcata. (Inv. univ. nullum part. polyphyllum)

A. *vulgaris*. PERS. umbellis subternis oppositi foliis divergentibus, foliis brevioribus, umbellis subheptaspermis, foliolis ovatis subtrifidis petiolisque hirsutis, caule glaberrimo. WALLROTH. ann. bot. p. 46. n. 85. PERS. Synops. I. p. 320. *Scandix Anthriscus* LINN. sp. pl. ed. WILLD. BAUMG. Fl. Lips. p. 155. n. 415.

Passim in pagis ad sepes v. c. pagi Burghausen, Chaerophyllo sativo similis attamen fructu oblongo tereti apice muricato, commissura sulcata facile distinguenda. Planta ceterum non officinalis sed infesta.

F. Fructus solidi nudi.

CHAEROPHYLLUM. Fructus oblongo-linearis teres ecostatus glaber, apice stylo coronatus, commissura glabra constricta sulcata.

Ch. *sativum* LAM. umbella subtrifida, foliolis obovatis inciso-serratis, caule inferne glabro, pedunculis geniculisque pubescentibus, fructibus acuminatis. WALLR. ann. bot. p. 47. n. 87. *Scandix cerefolium.* LINN. sp. pl. ed. WILLD. I. p. 1450. n. 4. BAUMG. Fl. Lips. p. 154. n. 414. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 236. SCHK. bot. Hdb. t. 73.

Ad sepes hortorum, in cultis sponte, cultum ubique. *Herba* et *Semen Chaerophylli* s. *Cerefolii* s. *Chaerefolii* olim magis officinalia quam hodie. Succus herbae recentis interdum ad curas vernales consumitur.

Ch. *silvestre*, caule striato glabriusculo geniculis incrassato, foliolis ovato-lanceolatis inciso-serratis nitidis, subtus pubescentibus, involucellis ovatis ciliatis. WALLR. ann. bot. p. 48. n. 88. LINN. sp. pl. ed. WILLD. I. p. 1452. n. 1. *Icon.* SCHK. bot. Hdb. t. 73. HAYNE I. 33.

Offic. Cicutariae Herba, obsoleta.

Ch. *bulbosum*, caule basi strigoso maculato superna ramoso, geniculis tumido, foliorum superiorum laciniis nervo pilosis, involucellisque linearibus margine nudis radice bulbosa deliquescente. WALLR. ann. bot. p. 48. n. 89. LINN. sp. pl. ed. WILLD. n. 2. BAUMG. n. 417. *Icon.* HAYNE I. 32.

Umbellata Conio maculato ob caulem maculis rubris ut species sequentes adspersum primo intuitu similis.

Ch. *temulum*, caule hirsuto, geniculis clavato-incrassato, foliolis ovato-oblongis obtusis obtu-

seque serratis, fructibus striatis. WALLR. 91. LINN. sp. pl. ed. WILLD. n. 4. BAUMG. n. 418. *Icon.* HAYNE. I. 34.

Plantae apud nos vulgares in ruderatis ad pagos, in silvaticis locis; singulae venenatae.

SIUM. *Fructus* lanceolato-linearis solidus subcorticatus, angulatus, jugis quinque obtusis, valleculis convexiusculis. (Inv. univ. polyphyllum.)

S. *latifolium*, umbellis oppositifoliis axillaribusque, foliis pinnatis, pinnis radicalium subpinnatifidis, caulinorum lanceolatis aequaliter serratis basi sessilibus inaequalibus, extremo cordato petiolato, caule striato, involucris oligophyllis. WALLR. ann. bot. p. 49. n. 92. LINN. sp. pl. ed. WILLD. I. p. 1431. n. 2. BAUMG. Fl. Lips. p. 148. n. 396. *Icon.* HAYNE I. 38.

S. *angustifolium*, foliolis ovato-lanceolatis inaequaliter lobatis serratis oppositis vaginis foliosis, umbellis pedunculatis oppositifoliis axillaribusque, caule dichotomo, involucris polyphyllis incisis. WALLR. n. 93. LINN. sp. pl. ed. WILLD. n. 3. BAUMG. n. 397. *Icon.* HAYNE I. 39.

Utraque umbellata palustris vulgaris, principio narcotico non minus quam acri venenata.

CARUM. *Fructus* lanceolato-linearis angulatus corticatus, jugis quinque obtusis, valleculis convexiusculis. (Inv. univ. monophyll.)

C. *Carvi.* Foliis tripinnatis. foliolis decussatis decurrentibus lineari-filiformibus acutis trifidis, vaginis ventricosis. WALLR. n. 95. LINN. sp. pl. ed. WILLD. I. p. 1470. n. 1. BAUMG. Fl. Lips.

p. 160. n. 228. *Icon.* Blackw. Herb. 529. Schk. bot. Hdb. t. 77.

Umbellata caule ramoso, vaginis foliaceis, involucro partiali nullo, foliorum fructuumque forma ab affinibus distinguenda, vulgaris in pratis siccioribus, locis elatis; prope Schkeudiz, Markranstaedt etc. diligenter colitur.

Qualitatibus, viribus, usu M. *Foeniculo* non dissimilis, at magis abdominis organis conducit.

MEUM. Tourn. *Fructus* lanceolatus, iugis quinque acutis, valleculis planiusculis. (Inv. univ. nullum.)

M. *Foeniculum.* Spreng. *Anethum Foeniculum.* Linn. sp. pl. ed. Willd. I. p. 1469. 3. planta nobis culta habitat in rupibus calcareis Angliae et Madeirae, apud nos vero quasi sponte occurrit in agris in quibus antea colebatur, v. c. prope Markranstaedt. Ramificationibus patenti-divergentibus, vaginisque foliaceis longissimis canaliculatis iam e longinquo facile discernitur a *Ferula* (*Anetho*, Linn) *graveolente.* Floret. Jun. Jul. *Officinale* est *Semen*, olim et fuit *Radix* et *Herba Foeniculi.* Radicis plantaeque totius recentis odor fragrans, sapor foliorum seminisque blande aromaticus, dulcescens. Oleum pinque nec non aethereum invenimus in semine. Nervos pectoris abdominisque blande stimulans, promovet lactis secretionem, vim expectorantem, carminativam, diureticam exserit. *Pulvis*, *oleum aethereum* et *coctum*, *Aqua Semina confecta.*

APIUM. *Fructus* ovatus solidus quinquecordatus, jugis acutiusculis, commissura valleculisque planiusculis. Umbella subcomposita. (Inv. nullum.) SPRENG. prodr. p. 34. n. 53. (Nescio quo errore singulari cel. WALLR. ad hoc genus characterem praecedentis *Spananthes*, JACQ. refert.)

A. *graveolens*, caule sulcato, foliis ternatis, foliolis trifido-incisis petiolatis basi cuneiformibus, umbellis sessilibus axillaribus terminalibusque foliosis. WALLR. 97. LINN. spec. pl. ed. WILLD. I. p, 1475. n. 2. BAUMG. Fl. Lips. p. 162. n. 433.

Apio Petroselino LINN. plantae apud nos cultae culinaris vis inest diuretica, pariter atque Apio graveolenti ad salinas spontaneo quo minus in medicina utimur.

PIMPINELLA. *Fructus* ovatus solidus quinquecostatus, jugis acutiusculis, valleculis convexis commissura contracta. Umbella composita. Involucrum nullum.

P. *Saxifraga*, caule striato glabro, foliis pinnatis glabris, radicalibus foliolis subrotundis argute dentatis, caulinis bipinnatis linearibus. LINN. spec. pl. ed. WILLD. I. p. 1471. BAUMG. Fl. Lips. p. 161. n. 429. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 472. SCHK. bot. Hdb. 78.

Planta secundum locum natalem admodum varians. *Pimpinella magna*, BAUMG. Fl. Lips. p. 161. n. 430, et plurium forte auctorum huius P. *Saxifragae* varietas est pratensis quod permultis speciminibus transitum egregie demonstrantibus doceor. Vera *Pimpinella magna*, LINN.

quam cel. WILLD. fusius descripsit longe discrepat a planta apud nos obvia eamque ipse siccam in herbario meo comparo. *Pimpinellae magnae* foliola lobata, latiora quam longa, quasi oleo inuncta, venosa, omnia petiolata facie Sisari. Petioli compressi. WILLD.

Radix Pimpinellae albae, olim et *Herba* et *Semen* ad officinalem usum a varietate minori in locis siccioribus, elatis obvia praestat. Floret Jun. Aug. *Qualit.* Oleum aethereum odor prodit acerrimus, specificus, sapor non minus acer, subamarus. *Vires* stimulans, diuretica, diaphoretica, carminativa, adstringens. *Usus.* Aptissima in anorexia diuturna, colluvie pituitosa et dyspepsia. *Praep. Pulvis Essentia* s. *Tinctura*, olim et *Aqua* et *Conserva.*

SISON. *Fructus* ovatus solidus, dorso tricostato, valleculis convexis, latusculis contractis, commissura excavata. (Inv. oligophyll. aut nullum.)

S. *Podagraria*, SPRENG. foliis inferioribus biternatis cordatis, caulinis ternatis basi attenuatis inaequalibus duplicato serratis, subtus glaucescentibus. WALLR. 101. *Aegopodium Podagraria* LINN. sp. pl. ed. WILLD. I. p. 1476. BAUMG. Fl. Lips. p. 163. n. 435. *Icon.* SCHK. bot. Hdb. t. 79.

In pratis et hortis vulgare. Eius foliis iunioribus passim vescitur tempore verno. Planta graveolens, diuretica? —

Sison Anisum, SPRENG. *Pimpinella Anisum.* LINN. sp. pl. ed. WILLD. I. p. 1473. n. 8. passim sed

rarius colitur apud nos cum Coriandro, frequens in Thuringia.

OENANTHE. *Fructus* ovato-oblongus corticatus solidus apice denticulatus, stylo persistente coronatus, jugis tribus aut quinque obtusis. (Invol. univ. subnullum.)

Oe. *fistulosa*, stolonifera, foliis radicalibus bipinnatis, foliolis cuneatis lobatis, caulinis pinnatis linearibus petioloque longissimo fistulosis, involucro universali nullo. WALLR. 105. LINN. sp. pl. ed. WILLD. I. p. 1440. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 145. n. 389. *Icon.* SCHK. bot. Hdb. t. 70.

Umbellata elegans venenata; occurrit passim in fossis, stagnis pratisque paludosis v. c. bei der Windmühle, Lindenau, Zschocher

Oe. *Phellandrium*, LINN. umbellulis oppositifoliis, foliis tripinnatis, foliolis ovali-oblongis incisis mucronatis. WALLR. 106. Phellandrium aquatium. LINN. sp. pl. ed. WILLD. I. p. 1444. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 157. n. 421. *Icon.* BLACKW. Herb. tab. 570. SCHK. bot. Hdb. t. 71. HAYNE I. 40.

Radix biennis, subperpendicularis, fistulosa, articulata, articuli dissepimentis spongiosis albis distincti, externe verticillato-fibrosi; caulis erectus, teres, glaber, obsolete striatus, articulatus, fistuloso-spongiosus, 3 — 4 pedalis, ramificationibus divaricatis; folia glabra; inferiora pinnato-supradecomposita; superiora pinnato-decomposita, pinnis pinnulisque divaricatis; foliolis cuneatis, obtusis, integris — multifidis;

petioli teretes, obsolele striati, solidi basi vaginantes; umbellae terminales vel oppositifoliae, brevipetiolatae compositae; flores omnes fertiles discoidales minores; umb. univers. inaequalis multifida; part. densa; multiflora; Involucr. univ. nullum; part. oligophyll. phyllis linearibus; corollae pentapetalae, petala inaepualia emarginato-cordata alba; stamina corolla sub-longiora; semina flavoviridia.

Loc. natal. Umbellata palustris, in profundioribus paludibus fossisque nobis vulgaris v. c. Vogelwiese, Schleussig. Floret Jun. Aug.

Offic. *Semen Phellandrii* s. *Foeniculi aquatici* olim et *Herba.* *Qualit.* Semina ut tota planta odore penetrante aromatico ingrato perfusa, sapore protinus dulci dein aromatico oleoso, acerrimo. Semina mense Septbr. maturescunt. Oleo aethereo et resina non egent. *Vires.* Stomachum roborant, flatus pellunt, pituitam solvunt, vasa pulmonalia cutaneaque stimulant eorumque excretiones accelerant. *Usus.* Remedium antiphtisicum habebatur tempore recenti, et omnino in phtisi inchoante ulcerosa prodest, inveteratam curare nequit. Praeterea stomachicum, antifebrile auctore Sprengelio.

cf. Phellandrologia phys. med. s. exercitat de medic. novo, vulgo Peersaat. Brunsw. 1739 8. LANGE von den heilsamen Würkungen des Wasserfenchels. Leipz. 1771. et Helmst. 1802.

CONIUM. *Fructus* ovatus solidus subcorticatus, jugis quinque obtusiusculis immaturis, crenatis, val-

leculis planis. (Involucr. univers. et part. polyphyllum.)

C. *maculatum*, caule ramoso maculato, foliis tripinnatis, foliolis lanceolatis decurrentibus inciso-serratis, umbellis fastigiatis subternis. WALLR. 107. LINN. sp. pl. ed. WILLD. I. p. 1395. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 146. n. 392. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 451. 573. HAYNE I. 31.

Radix biennis, crassa, fusiformis, subfibrosa; caulis erectus, teres, obsolete striatus, glaberrimus, maculis purpureis v. puniceis inprimis basi adspersus; folia glabra, inferiora pinnato-supradecomposita, alterna; superiora pinnato-decomposita, opposita, foliola oblonga, dentata dentibus albo apiculatis; petioli teretes, subcarinati, fistulosi glabri, basi vaginantes, maculati; umbellae terminales et in dichotomia ramorum, compositae; universalis multifida, particularis multiflora, subconvexae; Involucr. univ. subpentaphyll. deciduum, phyllis linearibus reflexis; partial. unilaterale. di-triphyllum reflexum; phyllis ovato-lanceolatis, acuminatis; corolla pentapetala, petala subaequalia, emarginato-cordata.

Loc. natal. Habitat in ruderatis ad pagos, in locis incultis ad muros, aggeres, v. c. prope Gohlis, Schleussig, Plagwitz, Ziegelscheune etc. Floret Jul. — Septbr.

Pars offic. *Herba Conii maculati* s. *Cicutae maioris officinarum* s. *terrestris* s. *vulgaris*, antea et *Semen.* Carpun-

tur folia ante fructificationem, petiolis crassis destituta velociosimo calore siccata in vasis bene clausis asservantur. *Qualit.* Folia recentia inprimis digitis trita odorem ingratum qualem lotium felinum spargunt, sapor est amarus, acris, subdulcis. Praeter extractum gummosum et resinosum et spiritum volatilem et alcalinum, Schraderus etiam pigmentum gummosum et resinosum in planta detexit; attamen praeter narcoticam vim et acrimoniam quamvis huius ingenium nos lateat, inesse constat. *Vires.* Stimulat vasa absorbentia et glandulas motumque humorum accelerat, praeterea tamen vi sedante gandet in cute laxanda et sensibus obtundendis. Utimur eo in tumoribus scrophulosis, syphiliticis aliisque, inprimis in bubonibus et scirrho mammarum. Abusus Cicutae haec fere procreat symptomata: vertiginem, paralyses, artuum tremorem, tympanititem, linquae cunctationem, dolores et expansiones ventriculi vehementes, inflammationes, nauseam, et diarrhoeam, sitim insatiabilem, dolores ardentes in faucibus, deglutitionem impeditam, mictum cruentum, anxietatem, debilitatem, inertiam totius corporis, sudores frigidos, pallorem aut livorem cutis inprimis faciei, caecitatem, soporem, stuporem, furores, trismum atque saepissime mortem velocem. Ipsum usum externum plantae recentis eiusque vapores nonnunquam sequitur vertigo, animi absentia, tremor, paralyses. Antidota optima commendantur ab initio emetica, ubi iam emesis orta sit ea potu

subcalido oleisque sublevanda. Praeterea acida vegetabilia, mel atque coffeae tostae decoctum, concentratum virtutes suas praebuerunt egregias. *Praeparata. Pulvis Extractum* s. *succ. iuspissatus, Emplastrum* et olim *Oleum coctum.*

cf. STOERK. Ant. v. libellus quo demonstratur, cicutam non solum usu interno tutissime exhiberi. etc. Wien 1760. Libell. II. de cicuta Wien. 1761. EHRHART diss. Aeg. c. t. 1863. *Ortega* de Cicuta Matriti 1763. 4.

BUPLEURUM, *Fructus* ovatus solidus, dorso tricostato, jugis obtusiusculis planis, latusculis bicostatis rotundatis, commissura excavata. (Inv. oligophylla subcoadunata umbellam subaequantia.)

B. *rotundifolium*, foliis perfoliatis ovatis obtusis mucronatis, involucro nullo, involucellis obovatis, exterioribus maioribus. WALLR. 108. LINN. sp. pl. ed. WILLD. I. p. 1369. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 147. n. 393.

Haec species et. B. *falcatum*, LINN. p. 1372. n. 8. altera in agris, altera potius in rupibus calcareis Thuringiam versus occurrentes adstringentibus remediis olim adscriptae plantae non amplius servantur.

CNIDIUM. CUSSON. *Fructus* ovatus solidiusculus, iugis quinque acutis subalatis, valleculis obtusangulis. Inv. universale caducum aut nullum.

C. *Silaus.* SPRENG. foliis pinnatifidis, laciniis oppositis decurrentibus subtrifidis acuminatis. WALLR. 111. *Peucedanum Silaus.* LINN. sp. pl.

ed. WILLD. I. p. 1406. n. 7. BAUMG. Fl. Lips. p. 145. n. 391.

Planta nobis vulgatissima pratensis a Junio ad Septembrem usque florida. *Radicem* et *Herbam Seselios pratensis* s. *Saxifragae Angelicae* nunc obsoleta suppeditabat.

LIGUSTICUM. *Fructus* oblongus solidus corticatus, jugis quinque acutis, valleculis sulcatis. (Involucr. univ. et part. polyphyll.)

L. *Cervaria* SPRENG. foliis duplicato-pinnatis, foliolis ovatis inciso-serratis, serraturis mucronatis cartilagineis, imis decussatis, extimo trifido decurrenti. WALLR. n. 112. *Athamanta Cervaria.* LINN. sp. pl. ed. WILLD. I. p. 1401. n. 2. BAUMG. Fl. Lips. p. 142. n. 382. *Selinum Cervaria.* PERS. synops. I. 309. n. 14. *Icon.* JACQ. Austr. t. 69.

Habitat in pratis montanis v. c. am Bieniz.

Radix et *Semina Cervariae nigrae* s. *Gentianae nigrae* antehac a herbipolis avide conducebantur, nunc obsoleta.

TRIGINIA.

SAMBUCUS, *Calyx* quinquepartitus. *Corolla* quinquefida. *Bacca* trisperma.

S. *nigra*, cymis quinquepartitis, stipulis duabus utrinque setaceis, foliis pinnatis, foliolis ovatis serratis, caule arboreo. PERS. synops I. p. 328. n. 2. LINN. sp. pl. ed. WILLD. I. p. 1495. 3. BAUMG. Fl. Lips. p. 165. n. 433. *Icon.* BLACKW.

Herb. t. 151. SCHK. bot. Handb. t. 83. HAYNE IV. 16.

Arbor notissima sat vulgaris, 15 — 20 pedalis, Maio et Junio florens.

Pars offic. *Flores* et *Baccae* olim et *Cortex internus* et *Folia Sambuci.* *Qualit.* Flores suaveolentes amygdalino prope odore, nec male sapidi, cortici foliisque odor ingratus, sapor acer amarus. Oleum aethereum continent Flores blandissimum, mucilaginem et pauxillum resinae, partes reliquae extractum cum acrimonia. *Vires.* Florum infusum vulgatissimum et sane laude dignissimum diaphoreticum. Baccae et Cortex vi emetica illae coctae et ad syrypi consistentiam inspissatae diaphoretica et diuretica gaudent. *Usus* ex viribus patet. Externe floribus siccatis ad discutiendos tumores, nec non ad gargarisma cum lacte in angina tonsillari opus est. *Praeparata.* *Aqua destillata* et *Roob.*

ALSINE. *Calyx* pentaphyllus. *Petala* quinque, aequalia. *Capsula* unilocularis, trivalvis.

A. *media*, petalis bipartitis, foliis ovato-cordatis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. I. p. 154. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 167. n. 442. *Icon.* BLACKW. Herb. tab. 164. SCHK. bot. Hdb. t. 85. HAYNE II. 47.

Planta vulgaris agricolis hortulanisque molesta, inter obsoleta medicamenta collocanda.

TETRAGYNIA.

PARNASSIA. *Calyx* quinquepartitus. Petala quinque. *Nectaria* quinque, cordata, ciliata apicibus globosis, *Capsula* quadrivalvis.

P. *palustris.* LINN. sp. pl. ed. WILLD. I. p. 1516. BAUMG. Fl. Lips. p. 168. n. 443. *Icon.* SCHK. bot. Handb. t. 86. HAYNE II. 42.

Jn pratis uliginosis, v. c. Schoenfeldicis, floret Jul. — Septbr. *Herba* et *Flores Hepaticae albae* in morbis hepaticis a veteribus adhibita. Ipsi Linnco vis videbatur incerta.

PENTAGYNIA.

LINUM. *Calyx* pentaphyllus. *Petala* quinque. *Capsula* quinquevalvis, decemlocularis. *Semina* solitaria.

L. *catharticum* foliis oppositis ovato-lanceolatis, caule dichotomo, corollis acutis LINN. sp. pl. ed. WILLD. I. 1541. n. 26. BAUMG. Fl. Lips. p. 169. n. 446.

Vulgare in graminosis. Eius vi purgante non eget, itaque obsoletum.

L. *usitatissimi.* LINN. sp. pl. ed. WILLD. p. 1533. n. 1. seminis triti s. farinae lini usus ad fomentations, gargarismata, potum demulcentem etc. notissimus. Planta apud nos culta.

DROSERA. *Calyx* quinque-fidus. *Petala* quinque. *Capsula* unilocularis; apice quinquevalvis. *Semina* plurima.

D. *rotundifolia*, scapis radicatis, foliis orbi

culatis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. I. p. 1543 n. 2. BAUMG. Fl. Lips. p. 170. n. 448. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 433. SCHK. bot. Hdb. t. 87.

In uliginosis locis v. c. prope oppid. Grimmam Flor. Jun. — Aug.

Rarius adhuc in officinis asservatam invenimus. Principium continet acre purissimum, itaque venenata corrosiva, eiusque usus dubius est et potius magicus. Offic. olim *Herba Rorellae* s. *Roris Solis.*

HEXANDRIA.

MONOGYNIA.

ALLIUM. *Corolla* sexpartita, patens. *Spatha* multiflora. *Umbella* congesta. *Capsula* supera.

A. *Scorodoprasum*, caule planifolio bulbifero, foliis crenulatis: vaginis ancipitibus, staminibus tricuspidatis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 69. n. 15. BAUMG. Fl. Lips. p. 180. n. 467.

Vulgare in pratis. Vogelwiese, Connewitz etc. Floret Jun. Jul.

A. *vineale*, caule teretifolio bulbifero, staminibus tricuspidatis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 73. n. 26. BAUMG. Fl. Lips. p. 181. n. 469.

Non magis rarum in pratis silvisque humi-

diusculis, vulgare in pratis Vogelwiese. Floret Jun. Jul.

A. *angulosum*, scapo nudo ancipiti, foliis linearibus canaliculatis subtus subangulatis, umbella fastigiata. LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 76. n. 34. BAUMG. Fl. Lips. p. 183. n. 474.

Passim in pratis prope Lindenau, silvisque v. c. prope Connewitz et Zschocher. Floret Jun. — Aug.

A. *ursinum*, scapo nudo triquetro, foliis lanceolatis petiolatis, umbella fastigiata. LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 79. n. 40. BAUMG. Fl. Lips. p. 183. n. 475.

Copiose im Rosenthal aliisque nemoribus. Fl. Maio Jun.

Huius generis species omnes graveolentes: odore specifico, acerrimo. Externe radix bulbosa adhibita incitat cutem, rubefacit; interne calefaciens, emmenagoga, diuretica, flatulenta, anthelmintica; raro autem usui medicinali inserviunt. Coluntur plures in hortis.

LILIUM. *Corolla* sexpetala, campanulata: linea longitudinali nectarifera, laciniis saepius reflexis. *Capsula* valvulis pilo cancellato connexis.

L. *Martagon*, foliis verticillatis ovato-lanceolatis, floribus reflexis, carollis nevolutis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 88. n. 12. BAUMG. Fl. Lips. p. 190. n. 494. *Icon.* JACQ. Austr. V. 4. t. 351.

Nunc raro occurrit am Bieniz, frequens ve-

ro in montibus Thuringiae calcareis v. c. prope Naumburg. Floret Jun. Jul.

Radix Asphodeli diuresin movere, emollire, maturare dicebatur.

ASPARAGUS. *Corolla* Sexpartita, erecta: petalis tribus interioribus apice reflexis. *Bacca* trilocularis, disperma.

A. *officinalis*, caule herbaceo tereti erecto, foliis setaceis, stipulis paribus. LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 150. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 189. n. 490. *Icon.* BLACKW. 332.

In cultis. Floret Jul. Aug. Haec planta etiam inter diuretica, diluentia, aphrodisiaca a veteribus recepta.

CONVALLARIA. *Corolla* sexfida. *Bacca* maculosa, trilocularis, supera.

C. *majalis*, scapo nudo semicylindrico, foliis ovatis LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. 160. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 185. n. 479. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 70. HAYNE III. 18.

Vulgaris in nemoribus, florens Maio Junio. Interdum ad *Acetum Lilii Convallii* parandum congeritur, sed *Pulvis*, *Aqua*, *Spiritus* et *Conserva* ejusdem obsoleta. *Extractum* continent praeterea purgans.

C. *Polygonatum*; foliis alternis amplexicaulibus, caule ancipiti, pedunculis axillaribus subunifloris. LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 161. n. 5. BAUMG. n. 480. *Icon.* HAYNE III. 19.

C. *multiflora*, foliis alternis amplexicaulibus caule tereti, pedunculis axillaribus multifloris.

LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 162. n. 6. BAUMG. Fl. Lips. p. 186. n. 481. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 251. HAYNE III. 20.

Altera in collibus silvaticis v. c. am Bieniz, altera in humidis, vulgaris in pratis prope Schönfeld, in silvaticis Rosenthal etc, Fl. Maio — Jul.

Utriusque radix *Sigillum Salomonis* edulis ex amylo constat, aliis remediis vulnerariis detectis superflua videtur.

ACORUS. *Spadix* cylindricus, tectus flosculis *Corolla* sexpetala, nuda. *Stylus* nullus. *Capsula* trilocularis.

A. *Calamus*, scapi mucrone longissimo foliaceo. LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 199. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 192. n. 497. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 466. SCHK. bot. Hdb. t. 97.

Radix perennis, geniculata, repens, subcompressa, carnosa; scapus mucrone longissimo foliaceo pungente, 2—3 pedalis; folia erecta, arundinacea, ensiformia, plana, longissima, glabra, undulata, margine acutissima, interne albido spongiosa; spadix cylindricus, obtusos, flavescens. medio scapo foliaceo ad latus iusidens.

Loc. natal. In stagnis fossis fluviisque v. c. in der Parde. Floret Jun. Jul.

Pars offic. *Radix Calami aromaticis* s. *vulgaris* extrahitur vere vel autumno, mundata siccatur. *Qualit.* Radix odore specifico balsamico suavi, sapore amaro, acri aromatico praedita. Oleum aethereum et acrimonia

cum resinoso-gummosis partibus dirigunt vires. *Vires.* Stimulans, stomachica, diuretica. *Usus.* Ad excitandam plexuum abdominalium activitatem in atonia organorum quibus inserviunt, remedium egregium. *Praeparata. Pulvis, Confectio, Essentia, Oleum, Aqua* et *Extractum.*

BERBERIS. *Calyx* hexaphyllus. *Petala* sex: ad ungues glandulis duabus. *Stylus* nullus. *Bacca* disperma.

B. *vulgaris*, racemis simplicibus pendulis, foliis obovatis ciliato-dentatis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 227. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 177. n. 460. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 163. HAYNE I. 41.

In dumetis, silvis siccioribus. et ubique culta. Floret Maio, Jun.

Offic. Baccae Berberum. Acidi malici multum continent. *Praep. Roob* et *Syrupus Berberum.*

TRIGYNIA.

RUMEX. *Calyx* triphyllus. *Petala* tria, conniventia. *Semen* unum triquetrum.

R. *acutus*, floribus hermaphroditis, valvulis dentatis graniferis, foliis cordato-oblongis acuminatis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 253. n. 14. BAUMG. Fl. Lips. p. 199. n. 517. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 491.

In humidis. ad fossas. Floret Jun. Jul.

Offic. Radix Lapathi acuti s. *Oxylapathi.*

R. *aquaticus*, florib. hermaphroditis: valvulis

integerrimis nudis, foliis cordatis glabris acutis Linn. sp. pl. ed. Willd. p. 355. n. 18. Baumg. n. 520. Blackw. Herb. t. 262. 8. 490.

Ad ripas, fossas. stagna. Floret Jun. Jul.

Offic. *Radix Lapathi aquatici, Hydrolapathi, Herbae Britannicae* s. *Rhapontici*, vi adstringente, austera et ex veterum opinione eccoprotica praeditae. In rhachitide inprimis Sueci adhibuerunt.

R. *Acetosa*, floribus dioicis, foliis oblongis sagittatis. Linn. sp. pl. ed. Willd. II. p. 260. n. 31. Baumg. p. 201. n. 522. *Icon.* Blackw. 230.

In pratis, pomariis, pascuis. Floret Jun. Jul.

Offic. *Acetosae Nostratis Herba, Radix* etc.

cf. Sammlung für pract. Aerzte B. XVIII. St. I. p. 53.

A. *Acetosella*, floribus dioicis, foliis lanceolato-hastatis. Linn. sp. pl. ed. Willd. II. p. 260. n. 32. Baumg. 523. *Icon.* Blackw. t. 307.

In agris, locis sterilibus apricis. Floret Mai. — Jun.

Huius herba etiam ad parandum acidum oxalicum consumitur. Haec inprimis ex indigenis speciebus officinales fuere.

COLCHICUM. *Spatha. Corolla* sexpartita: tubo radicato. *Antherae* incumbentes. *Capsulae* tres, connexae, inflatae.

C. *autumnale* foliis planis lanceolatis erectis, petalis ovatis. Pers. synops. I. 389. 1. Linn. sp.

pl. ed. WILLD. II. p. 272. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 196. n. 510. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 566. SCHK. bot. Hdb. tab. 101.

Plauta apud nos vulgatissima autumnalis pratensis. *Pars offic.* Bulbus s. *Radix Colchici,* ovata aut snbglobosa, subcompressa, crassitie pollicari, carnosa, succulenta, externe flavescens, interne alba, duplicato-tunicata, effoditur mense Augusto. *Qualit.* Bulbus recens acrimonia abundat, siccus eget. Odor recentis nauseosus, ingratus; sapor acris: ex amylo constat cum acrimonia impraegnato. *Vires,* dissolvens, diuretica, drastica. *Usus.* Scillae radici substituitur a nonnullis, nec immerito, in hydrope, asthmate etc. *Praeparata. Oxymel. Acetum* et *Extractum Colchici.*

cf. STOERK libellus de Colchici autumnalis Radice. Wien 1763.

POLYGYNIA.

ALISMA. *Calyx* triphyllus. *Petala* tria. *Capsulae* plures monospermae.

A. *Plantago,* foliis ovatis acutis, fructibus obtuse trigonis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 276. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 202. n. 525.

Vulgaris in fossis paludibusque, foliorum causa quae *Herbam plantaginis aquaticae* vocabant, in haemorrhoidali morbo salubrium a veteribus commendata. Floret Jun. Aug.

HEPTANDRIA.

MONOGYNIA.

Aesculus Hippocastanum Linn. sp. pl. ed. Willd. II. p. 285. n. 1. arbor speciosissima, elegantissima ambulacrorum Lipsiae ornamentum eximium, corticem praebet satis adstringentem. cf. Zanichelli Commerc. litt. Noric. 1734. p. 75. — Lett. al. Guil. Pontedera intorno alla faculta dell' Ippocastano. Venez. 1773. 4. — Peiper Diss. de. cort. Hippocastani. Duisb. 1763. 4.

OCTANDRIA.

MONOGYNIA.

Oenothera biennis Linn. sp. pl. ed. Willd. II. p. 306. n. 1. e Virginia translata, nunc adsueta, radicem suppeditat edulem quae vero hodie tantummodo ad culinarem usum consumitur.

EPILOBIUM. *Calyx* quadrifidus, tubulosus. *Petala* quatuor. *Capsula* oblonga, infera. *Semina* comosa.

E. *spicatum* caule elongato simplici, foliis alternis lanceolatis glabris venosis, pedunculis ebracteis, spica pyramidata Lam. enc. 2. p. 373.

E. *angustifolium.* LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 313. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 208. n. 533. *Icon.* SCHUKR bot. Hdb. t. 106.

Silvae ad pagum Lindenthal nec non hortorum suburbanorum decus. Folia antehac ut adstringens, vulnerarium nomine *Herbae Lysimachiae Chamaenerii* decerpserunt. Floret Jul. Aug. Radix edulis.

OXYCOCCUS. *Calyx* superus, quadrifidus. *Corolla* quadripartita: laciniis sublinearibus revolutis. *Filam.* conviventia. *Antherae* tubulosae, bipartitae. *Bacca* polysperma.

O *palustris*, foliis ovatis integerrimis revolutis, caulibus filiformibus repentibus nudis PERS. synops. I. p. 419. 1. *Vaccinium Oxycoccus* LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 354. n. 25. *Schollera Oxicoccus.* BAUMG. Fl. Lips. p. 213. n. 544. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 593. HAYNE.. IV. 18.

Habitat in uliginosis, sphagnetis v. c. in ericeto Dubenensi. Floret Maio Jun.

Baccae Oxycocci veteribns antiscorbuticae, antipyreticae.

CALLUNA. *Calyx* duplex; tetraphyllus. *Corolla* companulata quadripartita. *Filamenta* receptaculo inserta. *Antherae* bifidae. *Capsula* quadrilocularis. *Dissepimenta* receptaculo centrali affixa.

C. *vulgaris* WILLD. Enum. Hort. Berol. p. 415. *Erica vulgaris* LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 473. *Icon.* HAYNE IV. 17.

In silvaticis sterilibus. Floret Aug. Septbr. *Offic. Herba Ericae.* Vis vix ulla.

DAPHNE. *Calyx* nullus. *Corolla* quadrifida, corollacea, marcescens, *Stamina* includens. *Drupa* monosperma.

D. *Mezereum*, floribus sessilibus ternis caulinis, foliis lanceolatis deciduis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 415. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 214. n. 546. *Icon.* BLACLW. t. 582. HAYNE Ill. 43.

Caulis fructicosus, erectus, ramosus 2—4 pedalis folia ramorum inferiora fasciculata, superiora alterna, brevipetiolata, lanceolata, integra, glabra, decidua; Corollae sessiles binae — ternae, roseae, suaveolentes; drupae maturae coccineae.

Loc. natal. In silvis collinis umbrosis, v. c. in silva academica, passim vidi am Bieniz, frequenter in montibus calcareis. Floret Febr. April.

Pars offic. *Cortex Mezerei* s. *Laureolae* et antea etiam *Baccae* s. semina *Cocci Gnidii* s. *Coccognidii.* Ille vere hae vero aestate colliguntur.

Qualit. Cortex acerrime sapit, linguam corrodit. *Vires.* Inflammatoria, corrosiva, vomitoria, cardialgica, febrilis, drastica. *Usus* Ad cutem rubefaciandam et ulcera excitanda communis; internum in morbo venereo felici successu experti sunt nonnulli.

TRIGYNIA.

POLYGONUM. *Calyx* nullus. *Corolla* quinquepartita, calycina. *Semen* unum, angulatum, tectum.

P. *Bistorta* caule simplicissimo monostachyo, foliis ovatis in petiolum decurrentibus. LINN. sp. pl. ed. WILLD, II. p. 441. n. 3. BAUMG. Fl. Lips. p. 215. n. 547. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 254.

In pratis nostris vulgare floret Maio, Jun. radicem habet viribus adstringentibus omnino pollentem. Decoctum externe adhibendum in feminarum, Leucorrhoea a torpore orta, nec non ad gargarisma etc. Offic. *Radix Bistortae.*

P. *Hydropiper*, floribus hexandris semidigynis, foliis lanceolatis, stipulis submuticis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 444. n. 9. BAUMG. p. 216. n. 549.

In inundatis, fossis. Floret. Aug. Septbr. *Offic.* olim *Herba Hydropiperis* s. *Persicariae urentis*, rubefaciens, diuretica.

P. *amphibium*, floribus pentandris semidigynis, spica ovata. LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 443. n. 7. BAUMG. Fl. Lips. p. 215. n. 548.

Varietates *α. natans β. terrestre* ex una radice natas saepius vidi. Vulgare in inundatis, stagnis, agris humidiusculis. Floret Jun. — Aug.

Offic. Radix Polygoni amphibii, adstringens, obsoleta.

P. *aviculare*, floribus octandris trigynis axillaribus, foliis lanceolatis, caule procumbente herbaceo. LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 449. n. 21. BAUMG. Fl. Lips. p. 217. n. 552. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 315.

Planta vulgaris polymorpha, In solo pinguiori

folia magna, corollae parvae; in sterili corollae magnae, folia parva. Floret Jun. — Septbr.

Herba Centumnodiae, Centinodiae, s. *Sanguinariae* obsoleta

TETRAGYNIA.

PARIS. *Calyx* tetraphyllus. *Petala* quatuor angustiora. *Antherae* filamentis medio annexae. *Bacca* quadrilocularis.

P. *quadrifolia* LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 471. BAUMG. Fl. Lips. p. 219. n. 557. *Icon.* BLACKW. Herb. tab. 286. SCHKUHR b. Hdb. t. 109. HAYNE. III. 7.

Offic. *Herba, Baccae Paridis; Folia Solani quadrifolii, Ulvae versae* s. *vulpinae* obsoleta, venenata. In nemoribus subhumidis frequens floret Mai. Jun.

ENNEANDRIA.

Nulla huius classis planta indigena officinalis.

DECANDRIA.

MONOGYNIA.

Dictamnus albus LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 541. D. *Fraxinella* PERS. synops I. p. 464. prope Naumburg inque variis Thuringiae montibus calcareis

frequens obvius, apud nos ob florum formositatem in hortis colitur. Radix Dictamni albi s. Fraxinellae olim nimis celebrata postea obsoleta, recenti vero tempore iterum a STOERKIO ut anthelminticum et emmenagogum et a WILLDENOWIO ut permanenter incitans commendata.

VACCINIUM. *Calyx* superus. *Corolla* urceolata aut campanulata, quadri - quinquefida: laciniis reflexis. *Filamenta* germini inserta. *Bacca* quadri - quinquelocularis, polysperma.

V. *Myrtillus*, pedunculis unifloris, foliis serratis ovatis deciduis, caule angulato. LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 348. BAUMG. Fl. Lips. p. 211. n. 542. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 463. HAYNE II. 7.

Per silvas umbrosas, academicam etc. Floret Maio Jun.

Offic. Baccae Myrtilli.

V. *Vitis Idaea*, racemis terminalibus nutantibus, foliis obovatis revolutis integerrimis subtus punctatis sempervirentibus LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 354. n. 24. BAUMG. Fl. Lips. p. 212. n. 543. *Icon.* HAYNE IV. 19.

In silvis, v. c. academica. Floret Maio, Jun. *Baccae* utriusque speciei nunc nonnisi ad usum diaeteticum impenduntur. Refrigerantes et subadstringentes olim in diarrhoea, Scorbuto varia forma adhibebantur.

PYROLA. *Calyx* quinquepartitus. *Petala* quinque. *Capsula* quinquelocularis, angulis dehiscens.

P. *rotundifolia*, staminibus adscendentibus,

pistillo declinato. LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 621. I. BAUMG. Fl. Lips. p. 226. n. 569. *Icon.* HAYNE IV. 21.

In silva academica cum P. *minore*, *secunda* et rarius cum *umbellata* et *uniflora*, copiose am Gesundbrunnen. Floret Jun. Jul.

Vi adstringente, amara pollet et *Herba Pyrolae* in officinis inter herbas a maioribus nostris praedicatas conditur.

DIGYNIA.

CHRYSOSPLENIUM. *Calyx* quadri-quinquefidus, coloratus. *Corolla* nulla. *Capsula* birostris, unilocularis, polysperma.

Ch. *alternifolium*, foliis alternis LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 637. BAUMG. Fl. Lips. p. 230. no. 580.

Crescit in subhumidis silvaticis v. c. inter pagos Gohlis et Eutritsch. Floret Martio Aprili.

Chrysosplenii s. *Nasturtii petraei Herba* ob vires acres vomitum molientes inter suspectas plantas referenda videtur.

SAXIFRAGA. *Calyx* quinquepartitus. *Corolla* pentapetala. *Capsula* birostris, unilocularis, polysperma.

S. *granulata*, foliis caulinis reniformibus lobatis, caule ramoso, radice granulata LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 631. no. 30. BAUMG. Fl. Lips. p. 230. n. 581. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 56. HAYNE III. 23.

Vulgaris in pratis siccis, versuris agrorum. Floret Maio, Jun.

Saxifragae albae Herba, Flores, Radix olim colligebantur.

S. *tridactylites* foliis caulinis cuneiformibus trifidis alternis, caule erecto ramoso LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 654. no. 38. BAUMG. Fl. Lips. p. 231. no. 582.

In muris pagorum v. c. pagi Möckern, nec non in saxis, nunquam vero in pratis uliginosis in quibus BAUMGARTEN legisse affirmat inveni, in ictero, glandularum indurationibus et ulceribus laudatur.Floret Mai — Aug.

SCLERANTHUS, *Calyx* monophyllus: *Corolla* nulla. *Semina* duo, calyce inclusa.

S. *perennis*, calycibus fructus clausis LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 661. n. 2. BAUMG. Fl. p. 229. n. 578. *Icon.* SCHKUHR b. H. t. 120.

In agris arenosis v. c. am Bieniz prope Rückmarsdorf. Floret Aug. Octobr. Nomine *Polygoni cocciferi* etiam huius vires in gangraena tentarunt.

SAPONARIA. *Calyx* tubulosus, monophyllus, nudus. *Petala* quinque unguiculata. *Capsula* oblonga, unilocularis.

S. *officinalis*, calycibus cylindricis, foliis ovato - lanceolatis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 667. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 231. n 584. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 113. SCHKUHR b. H. t. 121. HAYNE II. 2.

Apud nos quasi sponte v c. an den Strafsenhäusern, in hortis culta. Floret Jun. — Aug.

Pars offic. *Radix Saponariae* s. *Sap. rubrae.* Radix 2 — 3 pedalis, vix digiti minimi crassitie, filiformis geniculata, flexuosa, ramosa, fibrosa, brunnea, rugosa interne alba solida, densa. *Qualit.* Inodora, sapore subdulci amaricante, subacri. Inest fere tertia pars extracti saponacei, pars gummosa et pauxillum resinae. *Vis* resolvens, blande stimulans. *Usus*, in morbis pituitosis, inprimis abdominalibus, in ictero, hepatitide, hydrope, hypochondriaco malo, exanthematibus chronicis, morbo venereo, laudanda. *Praep.* *Extractum.*

DIANTHUS *Calyx* cylindricus, monophyllus: basi squamis quatnor. *Petala* quinque, unguiculata. *Capsula* cylindrica, unilocularis.

D. *carthusianorum*, florib. snbaggregatis, squamis calycinis ovatis aristatis tubo brevioribus, involucro oblongo aristato capitulo breviore, foliis linearibus trinerviis LINN, sp. pl. ed. WILLD. II. p. 671. n. 2.

In versuris agrorum locis apricis, collibus. Floret Juni Jul. Varietatem caulib. prostratis mumerosis legi in arenosis ad pagum Litschaene. *Florum Tunicae* planta materna, qui *Aquam*, *Spiritum*, *Syrupum* et *Conservam* habeditabant et cordialia, sudorifera et alexiteria habebantur; eodem modo D. Caryophylli plantae ubique vulgaris hortensis petata colligebantur.

TRIGYNIA.

CUCUBALUS. *Calyx* inflatus. *Petala* quinque, unguiculata, absque corona ad faucem. *Capsula* trilocularis.

C *Behen*, calycibus subglobosis glabris reticulato-venosis, capsulis trilocularibus, corollis subnudis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 684. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 235. n. 595. *Icon.* SCHKUHR b. H. t. 121.

Passim ad vias, locos sicciores v. c. prope Gohlis, Sellerhausen, Paunsdorf, Düben, frequens versus Thuringiam in viis et agris. Floret Jul. Aug.

Radicem Behen albi praebuit officinis.

C. *Otites*, petalis linearibus indivisis undulatis glabris floribus dioicis, pedunculis glabris, caule paniculato W. LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. 687. n. 13. *Silene Otites* PERS. synops. I. p. 497. n. 20.

Haud raro am dürren Berg, prope Merseburg et Lauchstädt ad vias in siccis elatioribus. Floret Jun. Aug.

Herba Viscaginis ob vires adstringentes a veteribus laudatur.

PENTAGYNIA.

SEDUM. *Calyx* quinquefidus. *Corolla* pentapetala. *Squamae* nectariferae quinque, ad basin germinis. *Capsulae* quinque.

S. *Telephium*, foliis planiusculis serratis, corymbo folioso, caule erecto. LINN. sp. pl. ed.

Willd. II. p. 760. n. 2. Baumg. Fl. Lips. p. 244. n. 626. *Icon.* Blakw. Herb. t. 191.

In collibus aridis am Bieniz, in muris pagorum haud raro. Floret Jul. Aug. *Radix* et *Folia Telephii, Fabariae, Crassulae maioris, Fabae crassae* olim officinalia.

S. *album*, foliis oblongis, obtusis, terectiusculis, sessilibus patentibus, cyma ramosa Linn. sp. pl. ed. Willd. II. p. 766. n. 21. Baumg. Fl. Lips. p. 245. n. 629.

In muris rarius, v. c. Merseburgi in muro portae Lipsiensis. Floret Jun. Jul.

Sedi minoris albi herba a nonnullis ad inflammationes dissolvendas imposita fuit.

S. *acre* foliis subovatis circumscissis gibbis erectiusculis sparsis, cymis bipartitis, foliolis calycinis circumscissis gibbis. Hayne I. 15. Linn. sp. pl. ed. Willd. II. p. 767. n. 22. Baumg. Fl. Lips. p. 245. n. 630. *Icon.* Hayne l. c.

Species vulgatissima in muris, domorum tectis, locis sabulosis. Floret Jun. Jul.

Herba Sedi minoris s. *Illecebri vermiculati.* Planta inodora, acerimo sapore, perennis vulgaris. Vires ei antiscorbuticas, diureticas dum recens sit nonnulli adscripserunt. Nunc etiam pulverisatum in epilepsia commendatur ad dosin granorum quindecim crescendo. In Hydrophobia adhibuerunt in Westphalia. Cf. Duisburger Anzeigen 1775. 41 St. — Westphäl. Zeitung f. Naturforscher, Oeconomen etc. 1800.

No. 22. *Sedum sexangulare* LINN. sp. pl. ed. WILLD. n. 23. quod etiam in Flora nostra in locis aridis, sabulosis rupestribus haud raro legitur acrimonia expers est, sapore nonnisi aquoso praeditum. Cf. HAYNE I. 16.

OXALIS. *Calyx* pentaphyllus *Petala* unguibus connexa. *Stamina* inaequalia, quinque breviora, exteriora basi connata. *Capsula* angulo elastice dehiscens, pentagona. Semina subarillata.

O. *Acetosella*, acaulis, scapo unifloro foliis longiore, foliis ternatis obcordatis, stylis longitudine staminum interiorum, radice articulata W. LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 780. n. 25. BAUMG. Fl. Lips. p. 243. n. 624. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 308.

Crescit in silvaticis umbrosis v. c. im Willwisch, Rosenthal. Floret April — Jun.

O. *stricta*, caule erecto ramoso, pedunculo umbellifloro petiolis breviore, foliis ternatis obcordatis, corollis obtusis, stylis longitudine staminum interiorum, W. LINN. sp. pl. ed. WILLD. p. 800. n 80. *Oxalis corniculata* BAUMG. Fl. Lips. p 244. n. 625. et plurium auctorum.

Species nobis vulgatissima, antea cum sequente commixta. Floret Jun. Aug.

O. *corniculata*, caule ramoso decumbente radicante, pedunculo subumbellato petiolis breviore, foliis ternatis obcordatis, stylis longitudine staminum interiorum. W. LINN. sp. pl. ed. WILLD.

p. 800. n. 81. — petiolis stipulatis, foliis petalis emarginatis erosis HOFFM. Fl. germ. ed. 1800. p. 210.

In cultis hortorum suburbanorum passim, inprimis in Bosiano. Floret Aprili, Septbr. Planta rara quam ne Germaniae indigenam censuit cel. WILLDENOW. Florae Halensi deest; cel. HOFFMANN Austriam et Hanoviam in Germania patriam indicat.

Herba Acetosellae recens s. *Herba Lujulae* ad praeparandum acidum oxalicum quaeritur, ad conservam refrigerantem et acetariam planta aptissima.

AGROSTEMMA. *Calyx* monophyllus, coriaceus, *Petala* quinque, unguiculata: limbo obtuso, indiviso, *Capsula* unilocularis.

A. *Githago*, hirsuta, calycibus corollam aequantibus petalis integris nudis LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 805. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 240. n. 614,

Inter segetes. Floret Jun. Jul.

Herba Nigellastri s. *Githaginis* et *Semen Lolii officinarum* ab hac planta originem duxerunt.

LYCHNIS. *Calyx* monophyllus, oblongis, laevis. *Petala* quinque, unguiculata: limbo subbifido. *Capsula* quinquelocularis.

L. *silvestris*, calyce decemcostato enervi, petalis subbifidis, capsulae unilocularis apicibus recurvatis, foliis ovato-lanceolatis cauleque hirsutis. SPRENG. Fl. Hal. p. 138. n. 528. *L. diurna.*

Hoffm. Fl. Germ. III. p. 211. n. 3. *Icon.* Schkuhr. b. H. t. 124. Flores rubelli. *L. dioica* flore rubro. Linn.

Habitat in silvaticis, fruticetis v. c. prope Lindenau ad viam, prope Leutsch, im verschlossnen Holze. Floret Jun. Jul.

L. *arvensis*, calyce decemcostato, femineo nervoso, petalis bifidis, capsulae unilocularis apicibus erectis, foliis lanceolatis cauleque molliter pubescentibus. *L. pratensis.* Spreng. Fl. Hal. p. 138. n. 529. *L. vespertina*, Hoffm. Fl. Germ. III. p. 211. n. 4. *L. dioica*, Fl. albo. Linn.

Icon. Schkuhr. b. H. t. 124. Hayne. II. t. 3.

In agrorum versuris, arvis, apricis. v. c. prope Pfaffendorf ad sepes, Connewitz etc. Floret Jun. Jul.

Offic. *Radices Saponariae albae* olim colligebantur a *L. arvensi* quam cum *L. silvestri* unam eandemque speciem esse putabant.

SPERGULA. *Calix* penthaphyllus. *Petala* quinque integra. *Capsula* ovata, unicularis, quinquevalvis.

S. *pentandra*, foliis verticillatis, floribus subpentandris, seminibus margine albo-membranaceis. Pers. Synops. I. p. 522. n. 2. Linn. sp. pl. ed. Willd. II. p. 818. n. 2.

In agris, collibus aridis, prope Güldengossa, Düben etc. Floret Aprili, Maio.

Semen nuper commendatum ad oleum destillandum quod in phtisi laudatur.

DODECANDRIA.

MONOGYNIA.

LYTHRUM. *Calyx* duodecim dentatus. *Petala* sex, calyci inferta. *Capsula* bilocularis, polysperma.

L. *Salicaria*, foliis oppositis cordato-lanceolatis, floribus spicatis dodecandris Linn. sp. pl. ed. Willd. II. p. 865. n. 1. Baumg. Fl. Lips. p. 247, n. 633. *Icon.* Blackw. Herb. t. 520. Hayne. III. 39.

Planta riparia vulgaris, adstringens, roborans, in diarrhoeis, dysenteriis malo hypochondriaco salubrem arbitrati sunt. Nomen officinale est: *Herba* et *Radix Salicariae* s. *Lysimachiae purpureae*. Floret Jul. Aug.

DIGYNIA.

AGRIMONIA. *Calyx* quinquedentatus, altero obvallatus. *Petala* quinque. *Semina* duo, in fundo calycis.

A. *Eupatoria*, fructibus hispidis, foliis caulinis pinnatis, foliolis oblongo-ovatis, spicis elevatis, petalis calyce duplo longioribus. Ait. — Linn. sp. pl. ed. Willd. II. p. 875. n. 1. Baumg. Fl. Lips. p. 248. n. 635. *Icon.* Blackw. Herb. t. 21. Schkuhr. bot. Hdb. t. 128. Hayne. II. 19.

In graminosis, siccis, aridis, elatioribus. Floret Jun. Aug. Haec etiam inter adstringentia,

roborantia, vulneraria, pellentia; diaphoritica, locum obtinuit.

TRIGYNIA.

RESEDA. *Calyx* monophyllus, quadri — sex partitus. *Petala* laciniata. *Capsula* ore dehiscens, unilocularis. *Semina* reniformia.

R. *Luteola*, foliis lanceolatis integris basi utrinque unidentatis, calycibus quadrifidis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 876. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 249. n. 636. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 283. SBHKUHR. b. H. t. 129.

In viis, ruderatis, v. c. prope Eutritsch, Connewitz, am Thonberg, Stoetteritz etc. Floret Jun. Jul. *Herba* et *Flores Resedae Luteolae* olim officinales nobis nonnisi tinctorii.

EUPHORBIA. *Calyx* monophyllus, ventricosus. *Corolla* tetra-penta petala, calyci insidens. *Capsula* tricocca.

Obs. Species omnes lacte acerrimo praeditae a nonnullis ad verrucas delendas adhibito. Crescunt in Flora nostra ex vastissimo hoc genere species haec:

E. *Peplus*, umbella trifida: dichotoma, involucellis ovatis, foliis integerrimis obovatis petiolatis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 903. n. 68. BAUMG. Fl. Lips. p. 250. n. 640.

Habitat in cultis, oleraceis. Flor. Aug. Sep. Venenata uti sequentes, saepius ejus radix cum

illa E. Esulae commixta occurrit. Succus lactem roseo tingit colore.

E. *exigua*, umbella trifida: dichotoma, involucellis lanceolatis, foliis linearibus. LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 908. n. 70. BAUMG. Fl. Lips. n. 641.

Var. α. acuta. β. retusa.

Occurrit in agris haud rara v. c. hinter dem Bieniz, prope Connewitz etc. versus Thuringiam frequentissima, viribus a praecedente non differt. Floret Jul. Aug.

E. *dulcis*, umbella quinquefida, bifida involucellis subovatis denticulatis, foliis lanceolatis obtusis apice denticulatis, foliis lanceolatis obtusis apice denticulatis, capsulis verrucosis pilosis W. — LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 909. n. 85. BAUMG. Fl. Lips. p. 251. n. 643.

In nemorosis, inprimis prope Leutsch. im verschlossnen Holze, prope Connewitz et in silva academica. Floret Maio — Junio.

Mitissima inter affines, sapore subdulci.

E. *helioscopia*. umbella quinquefida: bifida: dichotoma, involucellis obovatis, foliis cuneiformibus serratis glabris, capsulis laevibus LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 914. n. 98 BAUMG. Fl. Lips. p. 251. n, 644. *Icon.* HAYNE. II. t. 20.

In agris, hortisque copiosa. Floret Jul. Aug.

Radix, cortex Radicis, et *Herba Esulae* s. *Tithymali* olim officinalia.

E. *platyphyllos*, umbella quinquefida: trifida: dichotoma, involucris carina pilosis, foliis serratis lanceolatis, capsulis verrucosis LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 918. n. 109. BAUMG. Fl. Lips. p. 252. n. 645.

In agris lapidosis pagisque am dürren Berg, in Thuringia vulgaris. Floret Aug. Septbr.

E. *Esula*, umbella multifida: bifida, involucellis subcordatis, petalis subbicornibus, ramis sterilibus, foliis uniformibus. LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 919. n. 111. BAUMG. Fl. Lips. p. 252. n. 646. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 163. HAYNE II. 21.

Rarior apud nos, ad coemeterium prope Taucha et in via qua oppidum Sckeudiz intramus. Floret Jul. Aug.

Etiam haec species *Radicem*, *Corticem Radicis* et *Herbam Esulae* s. *Tithymali* praebuit.

E. *Cyparissias*, umbella multifida: dichotoma, involucellis subcordatis, ramis sterilibus, foliis setaceis, caulinis lanceolatis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 920 u. 113. *Icon.* HAYNE II. 22.

Vulgaris ad vias, inque locis elatis, pascuis ab urbe paulo remotioribus, v. c. prope Taucham, Merseburgum etc. etiam ad silvae marginem prope Raschwitz, et am Bieniz. Floret Mai — Jul.

Offic. Radix et *Cortex Radicis Esulae minoris.*

E. *palustris*, umbella multifida, subtrifida: bifida, involucellis ovatis, foliis lanceolatis, ramis sterilibus. Linn. sp. pl. ed. Willd. II. p. 922. n. 116. Baumg. Fl. Lips. p. 253. n. 648., petalis truncatis, subpeltatis Hayne. *Icon.* Hayne II. 23.

Planta rarior, v. c. am Bieniz in pratis prope Kleindölzig. Floret Maio, Jun.

Offic. Radix Esulae maioris, cortex Radicum et Herba Esulae.

Usus harum Euphorbiarum partium ad emesin drasticasque purgationes creandas iure meritoque obsolevit, interdum loco corrosivorum et vesicantium adhibentur.

DODECAGYNIA.

SEMPERVIVUM *Calyx* novem-duodecimpartitus. *Petala* duodecim. *Capsulae* duodecim, polyspermae.

S. *tectorum*, foliis ciliatis, propaginibus patulis, floribus dodecandris dodecagynis: nectariis cuneiformibus caruncolatis. Linn. sp. pl. ed. Willd. II. p. 932. n. 5. Baumg. Fl. Lips. p. 253. n. 649. *Icon.* Blackw. Herb. t. 366.

In pagorum muris tectisque domorum inprimis stramineis natum, succo acido-austero, aquoso, acriusculo repletum ob vires adstringentes, refrigerantes in febribus, dysenteria, aphtis, ambustis laudatur. Floret Jun. Jul.

S. *globiferum*. foliis ciliatis, propaginibus glo-

bosis. LINN. sp. pl. ad. WILLD. II. p. 932. n. 6.

In muro ad cauponem pagi Döliz. Floret Jul. Aug. Qualitatibus forte iisdem praeditum ac altera species. Primus iuvenit Past. FREGE.

ICOSANDRIA.

MONOGYNIA.

PRUNUS. *Calyx* quinquefidus, inferus. *Petala* quinque. *Drupae* nux suturis prominulis.

P. *Padus*, floribus racemosis, racemis pendulis, foliis deciduis duplicato-serratis subrugosis, petiolis biglandulosis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 984. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 256. n. 652.

Loc. natal. In omnibus fere Florae nostrae silvis sepibusque hortorum rusticanorum vulgaris. Ploret Aprili, Maio.

Pars offic. *Cortex* olim et *Flores* et *Baccae Padi s. Cerasi racemosi silvestris.* *Qualit.* Cortex recens amygdalarum amararum odorem spirat, sapore est aromatico, amaro. Similia insunt ac Lauroceraso principia unde et vires patent. *Usus.* Ad spasmos doloresque e vis sensiferae irregulari distributione

ortos in cardialgia commendant. Praeterea et in febribus intermittentibus morboque venereo adhibuerunt. Infusum spirituosum decocto iunctnm roborans, sedans, antispasticum, itaque etiam in anthritide et rheumatismis diuturnis commendandum. *Praep. Aqua destillata. Extractum.*

P. *avium*, umbellis sessilibus, foliis ovato-lanceolatis subtus pubescentibus conduplicatis Linn. sp. pl. ed. Willd. II. p. 991. n. 19. Baumg. Fl. Lips. p. 258. n. 655. *Icon.* Blackw. Herb. t. 425.

In silvis nemoribusque. Floret Mai. Jun. Hujus, *Pr. Cerasi* et *Pr. domesticae.* Linn. speciosae varietatis apud nos cultae *Fructus* et *Nucleos* exhibuerunt officinales ad varia praeparata.

P. *spinosa*, pedunculis solitariis, foliis elliptico-lanceolatis subtus pubescentibus, fructibus rectis. ramis spinosis. Linn. sp. pl. ed. Willd. II. p. 997. n. 32. Baumg. p. 260. n. 658. *Icon.* Schkuhr. b. H. 132.

Frutex notissimus, vulgatissimus in agrorum versuris, ad margines silvarum. Floret Aprili Maio.

Corticem praebet, *Flores, Fructus* et *Nucleos, Acaciae nostratis* s. *germanicae* s. *vulgaris* s. *Pruneoli silvestris.* Corticem delibrabant ob vires adstringentes, Flores ad infusum theiforme gratum, leniter diaphoreticum laxans et fructus refrigerandi causa collegerunt.

DIGYNIA.

CRATAEGUS. *Calyx* quinquefidus. *Petala* quinque. *Drupa* infera, di—pentasperma. *Semina* ossea.

C. *Oxyacantha*, foliis obtusis subtrifidis serratis glabris, floribus digynis. pedunculis calycibusque subglabriusculis calycinis segmentis lanceolatis acutis. LINN. sp. pl. ed, WILLD. II. p. 1003. n. 16. BAUMG. Fl. Lips. p. 267. n. 660. *Icon.* BLACW. Herb. t. 149,

Sat vulgaris in silvis, sepibus pratorum marginibus. Floret Maio, Jun. *Offic. Oxyacanthae* s. *Spinae albae Folia*, *Flores* et *Baccae* absoleta.

C. *monogyna*, foliis acutis subtrifidis, serratis glabris, floribus monogynis, pedunculis calycibusque subpubescentibus, calycinis segmentis lanceolatis acuminatis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 1006, n. 17.

Praecedenti rarior occurrit in dumetis, locisque montanis, in serto cum varietate floribus rubris. Floret Mai. Jun. In officinis et huius partes collectae prostabant, baccas inprimis utraque suppeditat species farinosas, alimentosas, nuper etiam cum reliquarum specierum illis ad panem exinde conficiendam commendatas.

TRIGYNIA.

SORBUS. *Calyx* quinquefidus. *Petala* quinque. *Bacca* infera, trisperma.

S. *aucuparia*, foliis pinnatis utrinque glabris. LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 1008. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 261, n. 661. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 173.

in silvis, ad pagos, in muris. Copiosa in silva Lindenthalensi. Floret Mai. Iun.

Sorbi Aucupariae Baccae olim officinales. Succus adstringens, purgans.

PENTAGYNIA.

MESPILUS. *Calyx* quinquefidus. *Petala* quinque, *Bacca* infera, pentasperma.

M. *germanica*, inermis foliis lanceolatis subtus tomentosis, floribus sessilibus solitariis LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 1010. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 262. n. 663.

In silvis et fruticetis; v. c. in silva academica, prope Abtnaundorf etc. Floret Mai. Jun.

Mespili Fructus et *Semina* ob qualitatem austeram, farinosam, vimque refrigerantem adstringentem antea officinalia.

PYRUS. *Calyx* quinquefidus. *Petala* quinque. *Pomum* inferum, quinqueloculare, polyspermum.

P. *Malus*, umbellis sessilibus, foliis ovato-oblongis acuminatis serratis glabris, unguibus calyce brevioribus, stylis glabris. LINN. sp. pl. ed. WILLD, II. p. 2017. n, 9. BAUMG. Fl. Lips. p. 264. n. 667. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 178.

In silvis Var. *silvestris* vulgaris. Floret Maio.

Fructus s. *Poma acidula* pauperes colligunt ad potum inde coquendum quem aegrotis porrigunt.

SPIRAEA. *Calyx* quinquefidus. *Petala* quinque. *Capsulae* polyspermae.

S. *Aruncus*, foliis supradecompositis, spicis paniculatis, florib. diocis LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 1060. n. 15. SCHWAEGRICH. Topogr. Spec. IV. p. 8.

Ad ripam Muldae australem infra oppidum Grimmam. Floret Mai — Jul. *Radix*, *Folia* et *Flores Barbae Capri* olim officinalia.

S, *Filipendula*, foliis pinnatis, foliolis uniformibus serratis, caule herbaceo, florib. corymbosis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 1061. n. 16. BAUMG. Fl. Lips. p. 267. n. 673. *Icon.* BLACKW, Herb. tab. 467.

In pratis siccis elatioribus am Bieniz, Gesundbrunnen etc. Floret Jun Jul. *Radix Filipendulae* s. *Saxifragae rubrae* in officinis dicta viribus nutrientibus, adstringentibus haud expers est, secundum veterum scripta vulneraria, lithontriptica dicitur.

S. *Ulmaria*, foliis pinnatis subtus tomentosis, impari maiore trilobo, lateralibus indivisis, corymbis proliferis. LINN. sp. *pl.* ed. WILLD. II. p. 1061. n. 17. BAUMG. Fl. Lips. p. 268. n. 674. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 465.

In pratis humidis, silvaticis umbrosis, fere ubique. Floret Jun. Jul.

Flores Caprinae s. *Ulmariae* infusum praebent theiforme leniter diaphoreticum, bene sapidum, sicut folia iuniora. *Radix* adstringens.

POLYGYNIA.

ROSA. *Petala* quinque. *Calyx* urceolatus, quinquefidus, carnosus, collo coarctatus. *Semina* plurima, hispida, calycis interiori lateri affixa.

R. *villosa*, tubo calycis globoso pedunculisque hispidis, caule aculeis magnis rectiusculis horrido, foliolis ellipticis duplicato-glanduloso-serratis petiolisque aculeatis, undique tomentosis. WALLR. ann. bot. p, 61. n. 129. LINN. sp. pl. ed. WILLD. II p. 1069. n. 12. BAUMG. Fl. Lips. p. 271. n. 680.

Crescit versus Thuringiam ubique in locis elatis, rupestribus, ad silvarum margines, prope Grötzsch et Pegaviam vulgaris, in silva academia hinter der Försterwohnung praeterito anno reperi. Floret Jun. Jul.

Fructus Cynosbati in officinis prostant.

R. *canina*, tubo calycis ovato pedunculisque subsolitariis glabris, aculeis caulinis aduncis, foliolis ovatis acuminatis glaberrimis. WALLR. ann. bot. p. 67. n. 134. LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 1077. n. 31. BAUMG. Fl. Lips. p. 274. n. 686. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 8.

Inter Rosas Florae nostrae species vulgatissima, crescit cum R. *rubiginosa* LINN. in

locis siccioribus, in viis ad sepes, agrornm versuras, silvarum margines etc. Floret Jun. Jul.

Flores Rosae silvestris s. *rubrae vulgaris* et *Fructus Cynosbati* ab hac qnoque specie originem duxerunt.

RUBUS. *Calyx* quinquefidus. *Petal*a quinque. *Bacca* composita acinis monospermis.

R. *Idaeus*, foliis quinato-pinnatis ternatisque, caule aculeato petiolis canaliculatis. Linn. sp. pl. ed. Willd. II. p. 1081. n. 4. Baumg. Fl. Lips. p. 276. n. 689. R. caule tereti aculeato, aculeis rectis, foliis quinato-pinnatis ternatisque subtus tomentosis, petiolis canaliculatis. Hayne III. 8. *Icon.* Blackw. Herb. t. 289. Hayne l. c.

In silvaticis umbrosis v. c. prope Leutsch, Lindenthal, in silva academica sponte obvius, in hortis cultura emendatus frutex floret Maio. Junio.

Aquam, Syrupum, Acetum, Spiritum, Gelatinam praebet sapore et vi refrigerante aegrotis gratissima.

R. *caesius*, foliis ternatis subnudis: lateralibus bilobis, caule aculeato tereti. Linn. sp. pl. ed. Willd. II. p. 1084. n. 12. Baumg. Fl. Lips. p. 277. n. 690. R. caule tereti aculeato caesio-pruinoso, aculeis recurviusculis, foliis ternatis pubescentibus, calyce glanduloso-pubescente, petalis obovatis emarginatis. Hayne III. 9. *Icon.* Schkuhr. b. II. t. 135. Hayne. l. c.

In agris, agrorum limitibus, locis silvaticis. Floret. Jun. Jul.

R. *nemorosus*, caule tereti aculeato villoso, aculeis subrectis, foliis villosis, caulium sterilium quinatis fructificantium ternatis, calyce glanduloso-pubescente, petalis ovatis integris emarginatisque. Hayne. III. 10.

In dumetis, fruticetis, silvarum humidarum marginibus. Haud raro ad silvam prope Lindenthal. Floret Jun. Jul.

R. *corylifolius*, caule quinquangulari aculeato subglabro, aculeis recurvis, foliis quinatis ternatis simplicibusque villosis, calyce subglabro fructifero inflexo, petalis obovatis integris. Hayne. III. 11. Willd. Enum. hort. Berol. p. 550. n. 12. *Rubus fruticosus* Boehm. Lips. n. 448. Baumg. Fl. Lips. p. 277. n. 691. *Icon.* Blackw. Herb. tab. 45.

In silvaticis prope Lindenthal. am Bienitz, in silva academica. In pratorum agrorumque marginibus v. c. am Berge, prope Abtnaundorf. Floret Mai — Jul. Plerumque hanc speciem habuerunt pro R. *fruticoso*, Linn. nondum a me certe in Flora nostra lectum, qui differt: caule quinquangulari aculeato leviter tomentoso, aculeis recurvis, foliis quinatis ternatis simplicibusque supra glabris subtus tomentosis, calyce leviter tomentoso reflexo, petalis obovatis integris. Hayne. III. 12. Habitat in Germania australi, Helvetia, Anglia, ad sepes, in fruticosis,

Baccae fruticum horum vulgarium s. *Morae Rubi* olim etiam ad usum officinalem, interdum cum *Radicibus* et *Foliis Rubi* colligebantur.

FRAGARIA. *Calyx* decemfidus. *Petala* quinque. *Receptaculum* seminum ovatum, baccatum, deciduum,

F. *vesca*, calyce fructus reflexo, pubescentia petiolorum patentissima, pedunculorum adpressa. LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 1090. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 279. n, 695. F. laciniis calycis fructiferi reflexis, pilis petiolorum divergentibus, pedunculorum patentibus, pedicellorum adpressis. HAYNE. IV. 26. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 77. HAYNE. l. c. Sporophorum (Receptac. aliis) subglobosum albidum aut puniceo - sanguineum deciduum carnosum baccatum.]

In silvaticis, pratis, versuris agrorum. Floret April, Mai.

F. *semperflorens*, laciniis calycis fructiferi pilisque petiolorum divergentibus, pedunculorum patentibus, pedicellorum adpressis. HAYNE. IV. 25. F. *vesca. γ.* LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 1091. (Sporophorum baccatum ovato - conicum, sanguiueum seminibus maturis flavis.)

In montanis passim. Floret a Maio — Octbr.

F. *collina, Ehrh.* calyce fructus erecto conniventi, pubescentia foliorum erecta, petiolorum patentissima, foliis utrinque pubescentibus apice conniventi - serratis. WALLR. ann. bot. p. 70. n. 138. F. *laciniis* calycis fructiferi erectis, pi-

lis petiolorum divergentibus, pedunculorum plerumque divergentibus, pedicellorum plerumque patentibus. Hayne. IV. 30. (Sporophorum oblongo-globosum carnosum, baccatum, duriusculum, subpersistens.)

Am Bieniz, in collib. apricis rarius. Floret Mai. Jun. Utraque species potius vero cultae Fr. *elatior* Linn. sp. pl. ed. Willd. II. p. 1091. n. 2. et sp. sequens: F. *virginiana* ob fructus grato sapore praeditos notissimae. Baccae ob vim diureticam, diaphoreticam in febribus, arthritide, melancholia, mania etiam a veteribus magni aestimatae sunt, nec non ad *Syrupum*, *Aquam* et *Acetum* parandum consumtae. Infusum theiforme gratum praebent folia iuniora.

POTENTILLA. *Calyx* decemfidus. *Petala* quinque. *Semina* subrotunda, nuda, receptaculo parvo exsucco affixa.

P. *Anserina*, foliis interrupte pinnatis sericeis, foliolis argute serratis, caule repente, pedunculis unifloris, Linn. sp. pl. ed. Willd. II. p. 1095. n. 2. Baumg. Fl. Lips. p. 280. n. 697. *Icon.* Hayne. IV. 31,

In pascuis ad fossas viaticas frequens. Floret Jun. Jul. *Anserinae* s. *Potentillae Radix* et *Herba* veteribus officinalia, adstringentia.

P. *reptans*, foliis quinatis, caule repente, pedunculis unifloris. Linn. sp. pl. ed. Willd. II. p. 1108. n. 34. Baumg. Fl. Lips. p. 282. n. 703.

Icon. BLCAKW. Herb. t. 454. SCHKUHR. b. H. t. 136, HAYNE. IV. 52.

In pascuis, ad vias in humidiusculis.

Radix et *Herba Pentaphylli* s. *Quinquefolii.* Ob adstringendi vim sicut praecedentis adhibuerunt in dysenteria, leucorrhoea.

TORMENTILLA. *Calyx* octofidus. *Petala* quatuor. *Semina* subrotunda, nuda, receptaculo parvo exsucco affixa.

T. *erecta,* caule erectiusculo, foliis sessilibus. LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 1112. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 278. n. 694. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 445. HAYNE II. 48.

In pratis humidiusculis v. c. prope Schönfeld, im Rosenthale etc. Radix geniculata, superne squamosa, digitum fere crassa, externe fusca, interne rosea, sapore styptico, odore vix ullo; caules plures, debiles erecti, interdum adscendentes, rubramosi pedalés; Folia radicalia petiolata; caulina sessilia, alterna quinata-septenata; foliola ovato-lanceolata, serrata s. inciso-dentata, subtus pubescentia; pedunculi elongati, filiformes, uniflori, axillares; corollaé flavae.

Radix olim et *Herba Tormentillae* ubi adstrictione vasorum opus sit inprimis externe aptissime adhibenda, quum principio adstringente inter omnes fere indigenas exoticasque maxime abundaret. Praeparantur ex ea *Pulvis, Aqua, Essentia* et *Extractum.*

GEUM. *Calyx* decemfidus. *Petala* quinque. *Semen* arista geniculata.

G. *urbanum*, florib. erectis, aristis uncinatis nudis, foliis caulinis ternatis, radicalibus lyrato-pinnatis. Linn. sp. pl. ed. Willd. II. p. 113. n. 5. Baumg. Fl. Lips. p. 282. n. 701. *Icon* Blackw. Herb. t. 253. Schkuhr b. H. t. 137. Hayne IV. 33.

Radix perennis, vix digitum minimum crassa, fibris crassioribus subramosa, externe fusca, interne flavescens; caulis erectus, angulatus, hirsutus, villosus, supra ramosus viridis, basi simplex, fuscus, 1 — 3 pedalis; folia radicalia petiolata, impari pinnata; foliola basi decrescentia; terminalia maxima; singula ovata, subacuta, inciso-dentata, rugosa, subhirta; caulina alterna, ternata aut profunde triloba; suprema subsimplicia, lanceolata; stipulae magnae, ovata-rotundae, amplexicaules, profunde inciso-dentatae, sessiles, pedunculi terminales, elongati, filiformes, hirsuti; flores parvi, erecti petalis flavis; calyx laciniis reflexis; semen ovatum pubescens, aristatum, arista nuda uncinata; receptaculum ovale.

Loc. natal. In locis silvaticis umbrosis copiosissime im Rosenthal; deinde in pagis vicinis fere omnibus ad sepes hortorum et vias. Floret Maio — Jul.

Pars offic. *Radix Gei urbani* s. *Caryophyllatae.* *Qualit.* Graveolens, grata, caryophyllos redolens, sapore austero, amari-

cante aromatico, inprimis vernali tempore. Praeter extractum resinosum et gummosum etiam oleum aethereum inest cum principio adstringente. *Vires.* Medicamentum egregium roborans, adstringens, sudoriferum, antifebrile. *Usus.* Quotidie fere ordinatur aptissime in febribus intermitteutibus aliisque ex atonia abdominali originem ducentibus morbis, corticis peruviani vires aemulans. *Praeparata* extant: *Pulvis, Essentia, Extractum.* Cf. BUCHHAVE observat, circa Gei urbani s. Caryophyllatae vires. Hafniae 1781. 8. *Anjou* de rad. Carophyllat. Gött. 1783.

G. *rivale*, floribus nutantibus, petalis longitudine calycis, aristis plumosis medio tortis. LINN. spec. pl. ed. WILLD. II. p. 1115. n. 5. *Geum nutans.* BAUMG. Fl. Lips. p. 282 n. 705. *Icon.* HAYNE IV. 34.

Crescit copiose in silvaticis umbrosis prope Leutsch, Connewitz, Zschocher, im Rosenthal, et in pratis uliginosis et alnetis prope Schönfeld et Burghaussen. Floret Jun. Jul.

Etiam huius radix nomine: *Radicis Gei rivalis* s. *palustris, Caryophyllatae aquaticae* s. *Benedictae silvestris* febrifuga laudatur, apud nos non effoditur. Cf. KALM Resa til Norra-America. Stockh. 1735. T. I. p. 450.

COMARUM. *Calyx* decemfidus. *Petala* quinque, calyce minora. *Receptaculum* seminum ovatum, spongiosum, persistens.

C. *palustre*. LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 1119. BAUMG. Fl. Lips. p. 283. n. 706.

Planta haud vulgaris elegans in pratis uliginosis prope Schoenfeld. Jun. Aug. florens, radicem habet adstringentem. *Herba Comari palustris s. Pentaphylli aquatici* obsoleta.

POLYANDRIA.

MONOGYNIA.

Actaea spinata. LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 1139. n. 1. in montibus calcareis v. c. in Thuringia saepius, nunquam vero in silva academica BAUMG. Fl. Lips. p. 287. n. 713, a me lecta, planta acris venenata.

CHELIDONIUM. *Corolla* tetrapetala. *Calyx* diphyllus. *Siliqua* unilocularis, linearis. *Dissepimentum* nullum. *Semina* plurima cristata,

Ch. *maius*, pedunculis umbellatis LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 114. n. 1. BAUMG Fl. Lips. p. 287. n. 712. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 91. SCHKUHR b. H. t. 140. HAYNE IV. 6.

Planta vulgatissima in ruderatis, muribus, cultis. Floret Mai — Aug. *Pars offic. Radix, Herba* et *Flores chelidonii maioris. Qualit.* Radix digiti crassitie odore mucido,

gravi, sapore amaro acri; fusca, fibrosa, intus alba et sicuti tota planta succo acri, spisso, aurantio lactescens. *Vires.* Resolvens, diuretica, diaphoretica. *Usus.* In morbis abdominalibus remedium salubre, v. c. in ictero, hydrope, deinde in cutaneis inprimis in exanthematibus chronicis interdum ex atonia abdominali ortis aut per eam prolongatis, nec non in syphilide. Externe applicata herba dissolvens. *Praeparata.* *Extractum* s. *succus inspissatus.*

PAPAVER, *Corolla* tetrapetala. *Calyx* diphyllus *Capsula* unilocularis, sub stigmate persistente poris dehiscens.

P. *Rhoeas*, capsulis glabris globosis, caule piloso multifloro, foliis pinnatifidis incisis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 1146. n. 5. BAUMG. Fl. Lips. *Icon.* BLACKW. herb. t. 2.

In agris inter frumenta et legumina obvia planta vulgaris, Jun. — Aug. florens.

Pars offic. *Flores et olim Herba Papaveris Rhoeadis s. erratici.* *Qualit.* Narcoticum principium prodit odor, partibus resinosis inhaerens; Sapor mucilaginosus, amarus, *Syrupus*, *Aqua* destillata et *Conserva* passim adhuc praescripta vi subanodyna praedita, inprimis colore amoeno se commendant.

P. *dubium*, capsulis oblongis glabris, caule multifloro setis adpressis, foliis pinnatifidis incisis

LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 1146. n. 6. BAUMG. Fl. Lips. p. 285. n. 710.

In agris sterilioribus, nec raro cum praecedente cui et viribus simillimum videtur. Floret Jun. Jul.

P. *somniferum* LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 1147. n. 7. Apud nos cultum. Opium inde conficere nobis insolitum, et forte ineptum, quum eius vis etiam a climate pendeat.

NYMPHAEA. *Calyx* tetra-pentaphyllus. *Corolla* polypetala: petala et Stamina receptaculo, germen circumdanti, subgloboso insidentia. *Nectarium* glandula in stigmatis centro. *Bacca* receptaculo cincta, multilocularis, loculis polyspermis.

N. *alba*, foliis cordatis integerrimis, lobis imbricatis rotundis LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 1152. n. 3. BAUMG. Fl. Lips. n. 718. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 498. 499. SCHKUHR bot. H. t. 142. HAYNE IV. 35.

Cum N. *lutea* rarius, v. c in piscina im Gauchschen Garten, prope Raschwitz in Plissa, etc.

Utriusque Radices et Flores inter officinalia remedia antea militantes nunc obsoleta. Inprimis huius *Radices* et *Flores Nympheae* s. *Nenupharis* colligebantur.

NENUPHAR. *Calyx* penta-hexaphyllus inferus. *Corolla* polypetala; *petala* et *stamina receptaculo* depresso germini substructo insidentia.

Nectarium petalorum densum glandulosum. *Bacca* multilocularis, loculis polyspermis.

N. *lutea*, foliis cordatis integerrimis, lobis approximatis, calyce pentaphyllo petalis longiore. *Nymphaea lutea*. LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 1151. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 289. n. 717. *Icon*. BLACKW. Herb. tab. 497. 499. et 500. *Nenuphar lutea*. HAYNE IV. 36. Calyx pentaphyllus, stigma repando 14 — 20. radiatum, bacca laevis.

In stagnis, paludibus floret Jun. Jul.

TILIA. *Corolla* pentapetala. *Calyx* quinquepartitus. *Capsula* coriacea globosa, quinquelocularis, quinquevalvis, basi dehiscens, monosperma.

T. *parvifolia*, foliis subdimidiato-cordatis glabris, subtus venarum alis barbatis, petiolis dimidiam folii longitudinem superantibus, floribus nectariis destitutis, pedunculis multifloris, fructibus laevibus obliquis. HAYNE. III. 46. HOFFM. Fl. Germ. III. p. 242. T. *microphylla*. WILLD. Enum. hort. Berol. p. 565. n. 2. *T. europaea*. *γ*. sp. pl. p. 1161. *Icon*. HAYNE. l. c.

In silvis, ambulacris, ad pagos. Floret Julio.

T. *vulgaris*, foliis subdimidiato cordatis glabris venarum alis subtus barbatis, petiolis dimidia folii longitudine brevioribus, floribus nectario destitutis, pedunculis multifloris, fructibus sublaevibus regularibus. HAYNE. III. 47. *Icon*. HAYNE. l. c.

In silvis, ad oppida, pagos. Floret Jun. Jul.

T. *pauciflora*, foliis subdimidiato-cordatis villoso-pubescentibus venarum alis subtus subbarbatis, floribus nectario destitutis, pedunculis plerumque trifloris, fructibus costatis. HAYNE. III. 48.

T. *grandifolia*, HOFFM. Fl. Germ. III. p. 242. *Icon.* HAYNE. l. c.

Apud nos quasi sponte in ambulacris, v. c. an der Wasserkunst etc. Sponte in Bohemia, Carniolia. Floret Julio. Hanc varietatem esse cultura ortem T. *europeae* (*parvifoliae*) puat cel. PERSOON.

Arbores notissimae eximiae, in silvis fere omnibus obviae ibi plerumque non arborescentes sed fruticosae. A pluribus auctoribus commixtae et pro varietatibus speciei unius: T. *europeae* LINN. habitae, sed nunc a cel. HAYNE. optime distinctae sunt.

Flores Tiliae infusum theiforme leniter diaphoreticum et *Aquam* destillatam suppeditant. *Cortex* interior aqua frigida maceratus exhibet copiam muci puri ad leniendos tumores, inprimis haemorrhoidales aptissimi.

HELIANTHEMUM. *Calyx* laciniis saepius inaequalibus: duabus extimis minoribus. *Capsula* unilocularis trivalvis, medio septiferis.

H. *vulgare*, suffruticosum procumbens, stipulis lanceolatis, foliis oblongis revolutis subpilosis, subtus incanis. PERS. Synops. II. p. 79. n. 69.

Cistus Helianthemum LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 1209. n. 72. BAUMG. Fl. Lips. p. 288. n. 251.

In pratis elatioribus siccis v. c. am Bieniz et prope Rögliz. Floret Jun. — Aug. *Herba Helianthemi* s. *Chamaecisti vulgaris* inter officinalia olim remedia relata.

DIGYNIA.

Paeoniae officinalis LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 1221. n. 1. plantae ob flores speciosos ubique cultae. *Radicem* vix adhuc in officinis asservatam invenimus. Petala viribus illis Papaveris Rhoeadis subsimilia.

TRIGYNIA.

DELPHINIUM. *Calyx* nullus. *Petala* quinque. *Nectarium* bifidum, postice cornutum. *Siliquae* tres s. una.

D. *Consolida*, nectariis monophyllis, caule subdiviso. LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 12 6. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 290. n. 720. *Icon.* BLACKW. Herb. tab, 26.

Planta arvensis, communis. Floret Jun. Jul. Etiam sponte flore pleno legi prope Dornburg in agro Jenensi. *Herbam* et *Flores Consolidae regalis* s. *Calcatrippae* suppeditabat hodie vix officinales.

Aconitum neomontanum. LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 1236. n. 9. in hortis vulgare. Prin-

cipio acri, viribus dissolventibus, diureticis, diaphoreticis praestans. Cf. STOERK. libell. de Stramonio, Hyoscyamo et Aconito. Wien. 1762. in lingu. vernac. transl. Zürich. 1763.

Annot. Hyperica trigyna v. Pentagynia.

PENTAGYNIA.

Aquilegia vulgaris. LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 1245. n. 2. apud nos nonnisi culta et quasi spontanea, in vicinis Thuringiae regionibus revera spontanea, suspecta, temulenta, obsoleta.

NIGELLA. *Calyx* nullus. *Petala* quinque. *Nectaria* quinque, trifida, intra corollam. *Capsulae* quinque, connexae.

N. *arvensis*, pistillis quinis, petalis integris, capsulis turbinatis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 1248. n. 3. BAUMG. Fl. Lips. p. 292. n. 725.

Passim inter segetes occurit. In Thuringia vulgaris. Floret Jul. Aug.

Semen acre aromaticum saepius cum illo N. *sativae* commixtum est.

HYPERICUM. *Calyx* quinquepartitus: laciniis subovatis aequalibus. *Petala* quinque. *Filamenta* multa, in quinque phalanges basi connata. *Capsula* subrotundata: loculis numero stylorum.

H. *quadrangulare*, florib trigynis, caule quadrangulo herbaceo, foliis pellucido-punctatis, foliolis calycinis lanceolatis. LINN. sp. pl. ed.

WILLD. III. p. 1459. n. 58. BAUMG. Fl. Lips. p. 425. n. 1016.

In nemoribus humidiusculis, alnetis. v. c. prope Barneck, am Bieniz, prope Schönfeld etc. Floret Julio. Aug.

H. *perforatum*, floribus trigynis, caule ancipiti, foliis obtusis pallucedo-punctatis, foliolis calycinis lanceolatis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 1460. n. 60. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 15.

In pratis, versuris agrorum, apricis. Floret Jun. — Aug.

Offic. Ab utraque specie colligitur: *Herba Hyperici*, interdum et *Flores* et *Semina*. Vires insunt leviter adstringentes. Laudantur in Haemoptysi, Haematuria, Phtisi. *Praeparata: Aqua, Oleum, Tinctura.*

POLYGYNIA.

HEPATICA. *Calyx* triphyllus. *Corolla* sexpetala. *Semina* plura ecaudata.

H. *triloba*, DECAND, WILLD. Enum. hort. Berol. p. 580. *Anemone Hepatica.* LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 1272. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 294. n. 730. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 207. HAYNE. I. 21.

In nemoribus lapidosis, montosis apud nos rarius, versus Thuringiam vulgaris. Nobis plantæ hortensis. Floret mense Aprili.

Herba et *Flores Hepaticae nobilis* olim nimis laudata vix laudibus digna.

PULSATILLA. *Calyx* uullus. *Corolla* sexpetala. *Semina* plura caudata, cauda plumosa.

P. *pratensis*, pedunculo involucrato, petalis apice reflexis, foliis bipinnatis Willd. enum. hort. Berol. p. 581. n. 5. *Anemone pratensis.* Linn. sp. pl. ed. Willd. II, p. 1274. n. 7. Baumg. Fl. Lips. p. 295. n, 732. Schwaegrich. Topograph. Lips. Spec. II. p. 12. *Icon.* Schkuhr. b. H. t. 150. Hayne I. 23.

Habitat copiosa in umbrosis et pratis silvaticis post oppidum Düben, ubi saepe caule bipedali multifloro gaudet; floret Maio.

Acri principio venenata. In paralysi nervorum singulorum inprimis in amaurosi laudata. Iu ulceribus gangraenosis, syphiliticis, condylomatibus, herpete exedente etc. etiam salubris dicitur. *Praeparata. Extractum, Aqua destillata Pulsatillae nigricantis.* Cf. Stoerkii libell. de usu medico Pulsatillae nigricantis. Wien. 1771. in lingu. vernac. trans. Nürnbg. 1771.

P. *vulgaris*, pedunculo involucrato, petalis rectis, foliis bipinnatis. Willd. Enum. Hort. Berol. p. 587. n. 4. *Anemone Pulsatilla* Linn. sp, pl. ed. Willd. II. p. 1274. n. 6. Baumg. Fl. Lips. p. 295. n. 731. *Icon.* Hayne I. 22.

In campis aridis collibusque v. c. Sandberg am Bieniz. Floret Martio, Aprili. Planta succo acerrimo praedita P. *pratensi* rariori a nonnullis substituenda putatur.

ANEMONE. *Calyx* nullus. *Corolla* hexa-ennea petala. *Semina* plura ecaudata.

A. *nemorosa*, caule unifloro, foliis caulinis ternis ternatis, foliolis lanceolatis trifido-dentatis, corolla hexapetala. Linn. sp. pl. ed. Willd. II. p. 1281. n. 23. Baumg. Fl. Lips. p. 296. n. 734. *Icon.* Hayne I. 24.

A. *ranunculoides*, caule subbifloro, foliis caulinis ternis ternatis, foliolis subtrifidis apice dentatis, petalis oblongis obtusis patentibus. Linn. sp. pl. ed. Willd. p. 1282. n. 26. Baumg. Fl. Lips p. 296. n. 235.

Utraque species in silvis nostris umbrosis mense Aprili et Maio florida vulgaris, principio acri venenata,

CLEMATIS. *Corolla* nulla. *Petala* quatuor rarius quinque. *Semina* compressa, stylo persistente caudata.

C. *Vitalba*, foliis pinnatis, foliolis scandentibus cordatis inciso-lobatis Linn. sp. pl. ed. Willd. II. p. 1292. n. 17. *Icon.* Schkuhr. b. H. t. 141.

Versus Thuringiam in montosis v. c. prope Leucopetram ascendit frutices arbores et muros floribus Julio et Augusto elegantissima, apud nos quasi sponte in ambulacro suburbano interdum reperitur. Speciem a Baumgartenio in Flora nostra indicatam *C. erectam* apud nos nunquam vidi, in Thuringiae elatioribus montibus calcareis haud infrequens occurrit, unde solum pin-

que ad sepes hortorum obraceorum ei non conducere patet.

C. Vitalba inter plantas acres, venenatas iuste relata. Teste STOERKIO salubris in caphalaea, melancholia, herpete, ulceribus gangraenosis, indurationibus venereis etc. Aconito viribus haud dissimilis.

THALICTRUM. *Calyx* nullus. *Petala* quatuor s. quinque, *Filamenta* longissima. *Semina* ecaudata, striata, teretia.

Th. *flavum* caule folioso sulcato, panicula multiplici erecta. LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 1300. n. 15. BAUMG. Fl. Lips. p. 293. n. 728.

Passim in pratis nostris, v. c. prope Connewitz et Schönfeld occurrit, acris planta, venenata. Floret Jun. Jul.

Radix et *Herba Thalictri flavi* s. *magni* s. *Rhabarbari pauperum* ante hac colligebatur.

FICARIA. *Calyx* triphyllus. *Petala* octo-novem, ungue nectarifero. *Semina* compressa, obtusa, nuda.

F. *ranunculoides*, Moench. meth. p. 215. (radice tuberibus fasciculata, caule decumbente, foliis cordatis angulatis petiolatis.) BAUMG. Fl. Lips. p. 301. n. 750. F. *verna* PERS. Synops. II. p. 102. *Ranunculus Ficaria* LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 1312. n. 12. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 51.

In graminosis silvaticis, hortis humidiusculis vulgaris.

Herba Chelidonii minoris oleracea, ad acetariam quoque aptissima, bene sapida, re vera antiscorbutica. Olim etiam radix eiusdem, recens principii acris aliquid, sicca solum amylum continens officinalis fuit.

RANUNCULUS. *Calyx* pentaphyllus. *Petala* quinque, intra ungues poro mellifero. *Semina* nuda.

Obs. Genus sat speciebus locupletatum. Singulae principio acri abundant, inaequaliter per herbas et radices distributo, semper volatili, siccatione et coctione anfugo. Herbae et radices recentes inflammant cutem atque adeo vesicas et ulcera graviora creant, interne omnes venenorum acrium molestias ciunt. Species Florae nostrae indigenae sunt:

* *foliis simplicibus.*

R. *Flammula*, foliis ovato lanceolatis petiolatis, caule declinato. Linn. sp. pl. ed. Willd. II. p. 1307. n. 1. Baumg. Fl. Lips. p. 297. n. 757. Varietates occurrunt α. foliis integerrimis.

β. foliis serratis. Ran. Flammula minor Petiv. hort. brit. t. 39. f. 6.

γ. foliis radicalibus cordato-lanceolatis, longe-petiolatis; pedunculis unifloris.

Crescit ubique in pratis paludosis, pascuis humidiusculis, uliginosis, var. α. et β. frequentes in prato Vogelwiese, prope Connewitz,

Schleussig etc. var. γ. in pascuis prope Lindenthal vidi copiosam. Floret Jun. — Aug

Offic. *Herba Flammulae Iovis* obsoleta.

Cf. STOERK lib. de Flammula Jovis Wien. 1769. in linquam venac. transl. Norimbg. 1769.

Huius sicut et aliarum specierum acriorum radice, vesicatorii instar re vera utuntur Galli, et mendici, Itali praeter omnes, ad ulcera excitanda, ut misericordiam eo commoverent manibus, pedibus nec raro faciei adeo infantum applicare solent.

R. *reptans*, foliis linearibus, caule repente articulato radicante, pedunculis unifloris. SPRENG. Fl. Hal. p. 159. n. 620. LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 1307. n. 2.

Species omnino distincta a R. Flammula. Caulis filiformis, folia linearia, integerrima, fasciculata, pedunculi uniflori solitarii erecti, flores parvuli.

Legi in paludosis am Gesundbrunnen. Floret Jun. Jul.

R. *Lingua*, foliis lanceolatis acuminatis, caule erecto multifloro. SPRENG. Fl. Hal. n. 629. LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 1308. n. 3. BAUMG. Fl. Lips. p. 297. n. 738.

In aquis limosis. v. c. in paludibus prope Connewitz, rarius prope Schoenfeld. Floret Jun. Jul. Indigenorum speciosissimus.

** *Foliis dissectis et divisis.*

R. *auricomus*, foliis radicalibus reniformibus tripartitis crenatis, caulinis digitatis linearibus subintegerrimis, caule multifloro, calyce colorato erecto. SPRENG. Fl. Hal. p. 159. n. 622. LINN. sp. pl. ed. WILLD. p. 1514. BAUMG. Fl. Lips. p. 298. n. 739.

In hortis graminosis, pratis et pascuis. Floret Maio, Jun. interdum autumno iterum.

Varietatem memoratu dignam: caule procero, foliis radicalibus amplis reniformibus crenatis et inciso-lobatis, caulinis digitatis, inferiorum laciniis subovalibus, superiorum linearibus longissimis subdentatis et dentatis, transitum ad R. *cassubicum* LOES. luculenter demonstrantem legi in Thuringiae montosis humidiusculis silvatis mense Aug. anni praeteriti.

R. *sceleratus*, foliis inferioribus palmatis summis digitatis, lobis foliolisque omnibus obtusis, fructibus oblongis SPRENG. Fl. Hal. p. 159. n. 623. BAUMG. Fl. Lips. p. 298. n. 740. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 259.

Radix fibrosa, annua; caulis erectus, fistulosus, carnosus, crassus, angulatus, sulcatus, glaber, summitate ramosus, 1—2 pedalis et ultra; folia radicalia longepetiolata, subsemirotunda, aubcarnosa, nitida, glabra, triloba; lobis cuneiformibus, obtuse inciso-dentatis; caulina alterna, brevipetiolata s. sessilia, digitata, tri-multifida, glabra, laciniae linea-

ri-lanceolatae, obtusae, inciso-dentatae; petioli basi vaginantes, utrinque membranaceo-marginati, pedunculi laterales s. terminales filiformes, glabri, uniflori; Flores parvuli, sulphurei; petala integra, nitida, receptaculo breviora; Calyx reflexus, glaber, flavescens; fructus ovato-oblongus, obtusus, viridis; Semen praematurum deciduum. — Plantularum recens natarum folia earum R. hederacei formam aemulantur.

Crescit in humidis, paludosis ad fossas, stagna, in pratis uliginosis. Floret Maio — Jul.

Offic. olim *Herba Ranunculi palustris* s. *aquatici.* Maxima acrimoniae copia in floribus partibusque plantae superioribus latet, minor in radice. Usus internus inflammat intestinalem tractum, unde dolores atrocissimi, sphacelus, sudores frigidi spasmi tonici et clonici, inprimis risus Sardous, deliria hominem interimunt. Nonnulli plantam esse Virgilii et Plinii Sardoam credidere. Cf. Sallust. apud Servium in Virgil. Eclog. 7. 41. Plin. 20. 11. et 25. 13. Autidota praestant oleum et aqua subcalida. Inprimis et hac planta eodem modo quo R. Flammula utuntur Galli ad vesicans, et mendici ad ulcera graviora excitanda.

R. *bulbosus*, foliis ternatis trifidis, caule erecto multifloro, pedunculis sulcatis, calyce retroflexo, radice bulbosa. Spreng. Fl. Hal. p. 160. n. 624.

LINN. sp. pl. ed. WILLD. p. 1324. n. 40. BAUMG. Fl. Lips. p. 299. n. 741.

In pascuis et pratis v. c. prope Möckern et Eutritsch, Floret Mai — Jul.

R. *hirsutus*, foliis ternatis, superioribus trifidis linearibus, caule erecto multifloro hirsuto, calycibus acuminatis demum retroflexis, radice fibrosa. SPRENG. Fl. Hal. p. 160. n. 625. R. *Philonotis*, radice fasciculata, herba pilosa, caule erecto ramoso, foliis ternatis, foliolis trilobis, lobis crenato-incisis, apicibus puncto albo terminatis, pedunculis sulcatis, calyce reflexo, fructu globoso, seminibus compressis acuminatis. EHRH. Beitr. II. p. 145. LINN. sp. pl. ed. WILLD II. p. 1324. n. 41.

In udis, pascuis ad margines agrorum, v. c. hinter dem Brandvorweik, Vogelwiese. Floret Jun. Jul.

R. *repens*, calycibus patulis, pedunculis sulcatis, sarmentis repentibus, foliis compositis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 1325. n. 43. BAUMG. Fl. Lips. p. 299. n. 743. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 31.

In pratis, pascuis, hortis, agris vulgaris. Floret. Jun. Jul.

R. *polyanthemos*, calycibus patulis hirsutis, pedunculis sulcatis, foliis semiseptemlobis, laciniis tridentatis acutis, radice fibrosa. SPRENG. Fl. Hal. p. 160. n. 628. Calyce hirsuto, pedunculis sulcatis differt abunde a sequenti. W.

Passim ad vias in locis sterilioribus v. c. prope Lindenthal, in graminosis ad Connewitz, in silva academica. Floret Mai — Aug.

R. *acris*, calycib. patulis, pedunculis teretibus, foliis tripartito multifidis summis linearibus, radice tuberosa. SPRENG. Fl. Hal. p. 160. n. 627. LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 1326. n. 45. BAUMG. Fl. Lips. p. 299. n. 745.

Nobis vulgatissimus, in pratis, pascuis, hortis et silvis. Mense Maio et Junio ubi floret, saepius prata e longinquo colore flavissimo quasi tincta apparent.

R. *lanuginosus*, calycibus patulis, pedunculis teretibus, caule petiolisque hirsutis, foliis trifidis lobatis crenatis holosericeis. SPRENG. Fl. Hal. p. 260. n. 629. LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 1327. n. 47.

Maximus inter affines. In silvis umbrosis. Rosenthal, prope Connewitz etc Floret Maio, Junio.

R. *arvensis*, foliis trifido-decompositis, laciniis linearibus, seminibus aculeatis. SPRENG. Fl. Hal. p. 160. n. 630. LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 1329. n. 52. BAUMG. Fl. Lips. p. 300. n. 746.

In agris frequens. v. c. am Bienitz, prope Zschocher, Schoenau etc. Floret Maio, Jun.

R. *heterophyllus*, foliis submersis capillaceis, emersis peltatis *R. aquatilis* LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 1332. n. 60. *R. heterophyllus*

HOFFM. Fl. Germ. ed. 1791. p. 197. n. 25. PERS. Synops. II. p. 106. n. 74.

In aquis stagnantibus, in fossis. v. c. Vogelwiese. Floret Mai. Jun.

R. *capillaceus*, fol. omnibus capillaceis, laciniis divergentibus flaccidis, apice pilosis. PERS. Synops. II. p. 106. n. 75. HOFFM. Fl. germ. ed. 1800. p. 257. n. 24. sub aquatili. *R. aquatilis β.* LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 1332.

In aquis quietis, passim. Floret Jun. Jul.

R. *fluviatilis*, foliis omnibus dichotomo capillaceis, laciniis parallelis longissimis, caule natante. — LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 1333. BAUMG. Fl. Lips. p. 301. n. 749.

In fluviis, Plissa, Elystra, Luppa etc. Floret Jul. Aug.

TROLLIUS. *Corolla* nulla. *Petala* circiter quatuordecim. *Capsulae* plurimae, ovatae, polyspermae.

T. *europaeus*, corollis conniventibus, nectariis longitudine staminum. LINN. sp. pl. ed. WILLD. II. p. 1333. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 297. n. 736. *Icon.* SCHKUHR. b. H. t. 153. HAYNE. I. 12.

In montosis, pratis elatioribus humidiusculis v. c. prope Kleindölzig. Floret Jun. Jul.

Radix interdum cum illa Hellebori confusa a qua uti ab illa Adonidis vernalis colore brunneo et fibrillis fibrarum bene distinguitur.

CALTHA. *Calyx* nullus. *Petala* quinque-novem.

Nectarium nullum. *Capsulae* plures, polyspermae.

C. *palustris*, foliis cordato-reniformibus, caule erecto. Pers. Synops. II. p. 107. n. 2. Linn. sp. pl. ed. Willd. II. p. 1338. n. 1. Baumg. Fl. Lips. p. 294. n. 729.

Habitat in pratis humidiusculis, locis paludosis silvaticis ubique. Floret, Aprili, Maio. Planta acrimonia non expers.

DIDYNAMIA.

GYMNOSPERMIA.

Obs. Huc referendae sunt plantae *Verticillatae* Batschii, calyce monophyllo, tubuloso s. bilabiato, corolla monopetala irregulari v. labiata, staminib. quatuor, duobus maioribus, corollae tubo adnatis, stylo simplici stigmate plerumque bifido. Flores in verticillos axillares dispositi, seminibus quatuor nudis, Ex Diandria huc pertinet Salvia ex plantis agri nostri officinalibus.

Plurimae huius Ordinis oleo aethereo abundant, unde inter graveolentia et suaveolentia remedia referendae sunt. Vires earum oleo aethereo in abdominales plexus et cutaneos ter-

minantur, itaque carminativa, stomachica, diuretica, diaphoretica praebent medicamenta. Multae in hortis occurrunt cultae, partim ob suavem odorem, partim ut usui culinari inserviant partim et plurimae quidem in pharmacopaeorum usum.

AIUGA. *Corollae* labium superius minimum, bidentatum. *Stamina* labio superiore longiora.

A. *pyramidalis*, tetragono-pyramidalis villosa, foliis radicalibus maximis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 8. n. 3. BAUMG. Fl. Lips. p. 319. n. 787.

Haec reliquis rarior occurrit in arenosis elatioribus, anno superiori iterum legi in sabuleto am Kickerlingsberg. Floret Maio — Jul.

A. *genevensis*, foliis radicalibus caulinis minoribus LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p, 9. n. 5. Apud nos corollis coeruleis, in Thuringia etiam coroll. carneis occurrit.

Habitat in collibus arenosis v. c. ad St. Theclae, prope Holtzhaussen etc. Floret Maio — Jul.

A. *reptans*, stolonibus reptantibus. LINN. sp. pl. ed, WILLD. III. p. 10. n. 6. BAUMG. Fl. Lips. p. 320. n. 788. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 64. f. 1. Variat corollis coeruleis et albis.

Vulgaris in pratorum marginibus elatis, lucidisque silvarum intervallis. Floret Maio — Jul.

A singulis his speciebus olim *Herbae Con-*

solidae mediae s. *Bugulae* cui vires vulnerarias tribuerunt, colligebatur.

A. *chamaepytis*, LINN. sp pl. ed. WILLD. III. p. 10. n. 7. nobis vicina in vineis Thuringiae et agri Halensis, non caret principio balsamico, resinoso, acri.

TEUCRIUM. *Corollae* labium superius nullum sed fissura eius loco *Stamina* recipiens.

T. *Scordium*, foliis oblongis sessilibus dentatis nudiusculis, floribus axillaribus pedunculatis geminis, caule diffuso pubescente SCHREB. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 27. n. 34. BAUMG. Fl. Lips. p. 318. n. 785. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 475.

Radix repens, fibrosa; caulis stolonifer, adscendens, diffusus, pilosus, subtetragonus, palmaris; folia opposita, subsessilia, oblonga, basi angustiora, obtusa, serrato-dentata, subrugosa, hirsuta; corollae roseae, flores brevipedunculati, bini-quaterni, axillares; calyx villosus.

Passim legi in pratis silvaticis im Rosenthal ad paludes. Floret Jul. Aug. Olim maxime laudatum, hodie adhuc prostat in officinis. Inter antiputridinosa, alexiteria, antifebrilia, pellentia, diaphoretica, anthelminthica retulerunt veteres. *Offic. Herba Scordii. Praep. Aqua Essentia.*

T. *Botrys*, LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 14. n. 5.

T. *scorodonia*. p. 24. n. 27. T. *chamaedrys*. p. 28. n. 36.

T, *montanum*, p. 31. n. 42. proxima nobis in montibus prope Naumburg, aromatica, graveolentia, olim magis quam uunc officinalia.

SATUREIA. *Calyx* tnbulosus, striatus. *Corollae* laciniae subaequales. *Stamina* distantia.

S. *hortensis* pedunculis axillaribus subcymosis, foliis lanceolatis. integerrimis, caule brachiato. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 45. n. 8. BAUMG. Fl. Lips. p. 327. n. 805.

Crescit quasi sponte in hortis nostris fere ubique, suaveolens Floret Jul. Aug. *Offic. Herba Saturejae. Praep. Aqua, Oleum.*

HYSSOPUS. *Corollae* labium inferius tripartitum, lacinula intermedia subcrenata. *Stamina* recta, distantia.

H. *officinalis*, floribus verticillatis racemosis secundis, lacinia corollae intermedia biloba integerrima, foliis lanceolatis, LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 47. no. 1. BAUMG. Fl. Lips, p. 315. n. 271.

In cultis, ruderatis, nonnisi quasi sponte. Floret Jul. Aug. Viribus non differt a reliquis. *Offic. Herba Hyssopi. Praep. Aqua, Oleum.*

NEPETA. *Calyx* aridus, striatus. *Corolla* tubo longiusculo; labii inferioris lacinula intermedia crenata, faux margine reflexo. *Stamina* approximata.

N. *Cataria*, floribus spicatis, verticillis subpedicellatis cordatis dentato-serratis. LINN. sp.

pl. ed. WILLD. III. p. 49. no. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 326. no. 804. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 455. HAYNE IV. 8. Folia supra pubescentia, subtus holosericea.

Versus Thuringiam in viis, ruderatis, v. c. prope Leucopetram. Oleum aethereum continet odore ingrato praeditum, itaque in hysteria interdum adhibuerunt, praeterea in chlorosi. *Offic. Herba Nepetae.*

Lavandula Spica LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 60. n. 1. planta hortensis ob oleum aethereum notissima.

MENTHA. *Corolla* subaequalis, quadrifida: lacinia latiore emarginata. *Stamina* erecta, distantia.

Obs. Plures agros nostros silvasque incolunt species, quibus tamen ad usum officinalem vix egemus quum praestantior M. *piperita* LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 79. n. 13. et *crispa* p. 77. n. 9. ubique colantur. Indigenae sunt:

M. *aquatica*, floribus capitatis verticillatisve, foliis petiolatis ovatis serratis, calyce undique hirsuto, pedicellis retrorsum hispidis. M. *hirsuta* SMITH. LINN. transact. 5. p. 193. M. *aquatica.* SPRENG. Fl. Hal. p. 168. n. 651. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 78. n. 12. BAUMG. Fl. Lips. p. 315. n. 776. *Icon.* BLACKW. Herb. tab. 32.

In fossis aquosis, v. c. prope Barnek, am Gesundbrunnen etc. Floret Aug. Septbr. *Offic. Herba Menthae aquaticae.*

M. *sativa*, foliis ovatis petiolatis inciso-serratis supra lucidis subtus pubescentibus, caule erecto flexuoso, pedicellis calycibusque glaberrimis, dentibus hirsutis. M. *rubra* SMITH. Linnean. transact. 5. p. 205. SPRENG. Fl. Hal. p. 169. n. 652.

Habitat passim in fossis. Floret Aug.

M. *gentilis*, foliis ovatis petiolatis serratis utrinque subhirsutis, caule ramosissimo patulo, calycibus basi pedicellisque glabris SMITH. 208. SPRENG. Fl. Hal. p. 169. n. 653.

In humidiusculis agris, fossis passim. Floret Aug. Septbr.

M. *acutifolia*, florib. verticillatis, foliis ovato-lanceolatis utrinque attenuatis (medio serratis) calyce tubuloso oblongo hirsuto, pilis pedicellorum patentibus, caulium deflexis SMITH. p. 619. M. *verticillata*, HOFFM. Fl. germ. 1804. p. 6. n. 9.—10. Caulis bipedalis. Folia erectiuscula Verticilli copiosi, distantes.

Habitat in fossis praesertim silvaticis. Legi am Gesundbrunnen et in stagno ad pagum Lindenau. Floret. Jul. — Septbr.

M. *austriaca*, florib. verticillatis, corollae laciniis omnibus obtusis, foliis subovatis villosis, staminibus corolla brevioribus JACQ. austr. V. p. 81. M. florib. verticillat. fol. ovalibus petiolatis serratis hirtis, calycib. hirsutis, pedunculis glabris, caule erecto. WALLR. ann. bot. p. 75.

n. 150. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 51. n. 18.

A. M. *arvensi* specie simillima, distinguitur: caule simpliciusculo erecto, foliis utrinque attenuatis, inferiorib. ovatis brevi petiolatis, superioribus lanceolatis, serratis, nervo omni piloso, pedunculis elongatis glaberrimis, staminibus corolla brevioribus.

Occurrit in humidiusculis, in fossis, nemoribus. v. c. prope Schleussig. Floret Jul. Aug.

M. *arvensis*, caule adscendente villoso, floribus verticillatis, foliis ovatis acutis serratis, verticillis summis congestis, staminibus corollam aequantibus. PERS. Synops. II. p. 120. n. 22. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 80. n. 17. BAUMG. Fl. Lips. p. 316. n. 779.

Vulgaris in agris. Floret Jul. Aug.

M. *Pulegium*, foliis ovatis. caule prostrato, pedicellis calycibusque tomentosis, dentibus ciliatis. M. florib. verticillatis, foliis ovatis, obtusis, subcrenatis, caulibus subteretibus repentibus, staminibus corolla longioribus LINN. sp. pl. ed. WILLD. p. 82. n. 20. BAUMG. Fl. Lips. p. 316. n. 780. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 302. SOLE t. 23.

Apud nos non vulgaris, nonnisi prope Lindenau et Barnek in inundatis ante nonnullos annos a me visa. Floret Jul. Aug,

Offic. *Herba Pulegii.* *Praep.* *Aqua* *Oleum.*

GLECHOMA. *Calyx* quinquefidus. *Antherarum* singulum par in formam crucis connivens.

G. *hederacea,* foliis reniformibus crenatis, LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 85. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 313. n. 270. *Icon.* BLACKW. t. 225. HAYNE II. 8.

Vulgatissima in hortis, muris, ad sepes, domos. Floret per totam aestatem.

Offic. *Herba Hederae terrestris* olim avide collecta, hodie nonnisi ad succos herbarum recentes parandos in curis, ubi haec institui solent, vernalibus, impenditur. Odor est gravis, ingratus sapor amarus.

LAMIUM. *Corollae* labium superius integrum, fornicatum; labium inferius bilobum; faux utrinque margine dentata.

L. *album,* foliis cordatis acuminatis serratis petiolatis, verticillis viginti floris. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 88. n. 6. BAUMG. Fl. Lips. p. 322. n. 791. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 33.

Vulgare in sepibus hortorum, locis cultis, ruderatis, silvaticis. Floret Aug. — Octbr.

Offic. *Flores Galeopsidis* s. *Urticae mortuae* s. *Lamii albi.* Inter indifferentia fortasse iure referendi videntur.

BETONICA. *Calyx* aristatus. *Corallae* labium superius, planiusculum; tubus cylindricus.

B. *officinalis*, calycibus glabris ciliatis, lobo medio labii inferioris emarginato, spica interrupta Spreng. Pugill. B. spica interrupta, corollae galea integra, lacinia intermedia labii inferioris emarginata, calycibus glabriusculis Ait. — Linn. sp. pl. ed. Willd. II. p. 93. n. 1. Baumg. Fl. Lips. p. 321. n. 789. *Icon.* Blackw. Herb. t. 46. Hayne. IV. 10.

In collibus nemorosis rarius. In Flora nostra solummodo am Bieniz legi. Floret Jun — Aug.

Offic. *Flores* et *Herba Betonicae. Praep.* olim *Aqua* destillata c. et s. vino, *Conserva*, *Syrupus*, *Emplastrum.* Nimis hanc veteres laudarunt, ita ut in omnibus fere morbis eam prodesse contenderent; vires inprimis ei tributae sunt nervinae, tonicae, resolventes, etc. at nil agere valet. Radix amara emetica, purgans.

B. *stricta*, Ait. calycibus hirsutis, lobo medio labii inferioris crenato undulato, spica oblonga. Wallr. ann. bot. p. 77. n. 153. Spreng. pugill. Linn. sp. pl. ed. Willd. III. 94. n. 2.

Haec fere semper cum praecedenti commixta est. Galeam quam omnes auctores integerrimam dicunt fere semper emarginatam vidi nec integram.

Habitat in pratis silvaticis fere ubique; copiose in pratis prope Leutsch et Schoenfeld. Etiam in pharmacopoeis hanc videmus fere semper verae B. *officinalis* loco collectam.

STACHYS. *Corollae* labium superius fornicatum, labium inferius lateribus reflexum, intermedia maiore emarginata. *Stamina* deflorata versus latera reflexa.

St. *silvatica*, verticillis sex floris, foliis rugosis cordatis petiolatis LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 97. n, 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 324. n, 798. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 84. HAYNE. III. 40.

Habitat frequens in silvaticis, nemorosis. Rosenthal, Zschocher, Connewitz etc. Floret Jun. Jul.

Offic. Herba Galeopsidis s. Urticae inertis, s. Lamii silvatici maximi.

St. *palustris*, verticillis subsexfloris, foliis lineari - lanceolatis semiamplexicaulibus sessilibus. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 198. n. 4. BAUMG. Fl. Lips. p. 325. n. 799. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 273.

In agris humidiusculis, pratis paludosis, ad ripas fluviorum fossarumque vulgaris. Floret Jul. Aug.

Offic. Herba Stachidis palustris, s. Galeopsidis palustris foetidae. Usus ut herbae vulneariae, antifibrilis, obsoletus. Haud raro cum Lythro salicaria aut Betonica officinali eomixta exstat.

St. *recta*, verticillis subspicatis, foliis cordato-ellipticis, crenatis, scabris, caulibus adscendentibus. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 104. n.

21. Baumg. Fl. Lips. p. 325. n. 801. *Icon.* Hayne. IV. 12.

In montosis, sterilibus, apricis, apud nos rarius; solummodo prope Roeglitz vidi, versus Thuringiam in locis calcareis frequentius occurrit. Floret Maio — Aug..

Offic. *Herba Sideritidis* falso dicta est huius herba siccata quum similis sit illi *Sideritidis hirsutae* Linn. sp. pl. ed. Willd. III. p. 70. n. 18, minus *S. montanae*, Linn, p. 64. n. 4.

Vires huius plantae nonnisi in imaginatione inprimis rusticorum exstant, qui vario modo ea superstitiose utuntur. Re vera paulum adstringens est et forte roborans.

BALLOTA. *Calyx* hypocrateriformis, quinquedentatus, decem striatus. *Corollae* labium superius crenatum, concavum. *Semina* ovata, triquetra.

B. *vulgaris*, Link. foliis indivisis ovatis inaequaliter crenato-serratis calycibusque acuminatis, laciniis calycinis setaceis aristatis rectis, tubo corollae brevioribus. Wallr. ann. bot. p. 79. n. 155. *Ballota nigra* Linn. sp. pl. ed. II. p. 814. et plurimorum auctorum post eum. *Icon.* Blackw. Herb. t. 136. Schkuhr. bot. Hdb. II. 161.

Ad sepes, muros, vias in ruderatis, hortis ubique freqnens, floret Jun. Jul. plerumque cum *Ballota nigra* Linn. sp. pl. ed. I. p. 582 commixta quae differt: B. foliis ovatis obtusis remote-crenatis basi subcuneiformibus, calycis dentibus

basi dilatatis brevissime acuminatis patentibus tubum corollae superantibus Wallr.

Planta tota odore ingrata.

Offic. Herba Ballotae nigrae s. Marrubii nigri. Inutilis est ad medicinam internam, nonnisi externe applicata vulnerarium est remedium.

MARRUBIUM. *Calyx* hypocrateriformis, rigidus, decemstriatus. *Corollae* labium superius bifidum, lineare, rectum.

M. *vulgare,* foliis subrotundo-ovatis dentatis rugoso-venosis, calycinis dentibus setaceis uncinatis Linn. sp. pl. ed. Willd. III. p. 111. n. 8. Baumg. Fl. Lips. p. 328. n. 807. *Icon.* Herb. Blackw. t. 479.

Radix perennis, fibrosa, nigra; caulis erectus, tetragonus, rigidus, subramosus. albotomentosus, 1—2 pedalis: rami oppositi; folia opposita, inferiora superioribus longius petiolata, subcarnosa, ovato-rotundata, dentata, rugoso-venosa, supra obscure viridia, utrinque albotomentosa; verticilli multiflori, densi, axillares; corolla alba; calyces decem-dentati, striati, tomentosi; faux pilis densis clausa, dentes setacei, uncinati, alternatim minores; patentissimi, bracteae setaceae, tomentosae, reflexae.

Loc. natal. In ruderatis, ad vias, in locis sterilibus. v. c. ante portam Grimmensem. Floret a Junio — Aug.

Pars. offic. Herba Marrubii albi s. Prasii albi, ante florescentiam mense Maio collecta.

Qualit. Planta graveolens, balsamica; sapore amaro, subacri. Principium extractivum, resinoso-gummosas partes nec non olei aetherei quid, siccatione aufugi, continet.

Vires Leniter stimulans, resolvens, diureticum, roborans.

Usus. Laudatur non immerito in morbis pectoralibus abdominalibusque variis, etiam in tabe pulmonum, in ictero pertinaci et hydrope incipiente.

Praeparata. Pulvis, Extractum, Oleum, Aqua destillata et *Syrupus.*

LEONURUS. *Calyx* pentagonus quinquedentatus. *Corollae* labium superius villosum, planum, integrum; inferius tripartitum, lacinia media indivisa, (Antherae punctis nitidis adspersae L. Folia sublobata.)

L. *Cardiaca*, foliis grosse serratis, inferioribus subcordatis trilobis, superioribus basi cuneiformibus trifidis vel integris, corollis calyce multo longioribus HAYNE. III. 41. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 144. n. 2, BAUMG. Fl. Lips. p. 312. n. 768. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 171. HAYNE. III. 41.

In ruderatis, ad sepes, frequens in horto Bosiano. Floret Jul. Aug.

Offic. Herbae Cardiacae.

Vires. adstringens, roborans, resolvens, pellens; et plures adhuc alias veteres ei adscripsere. Nobis remedium obsoletum ac inutile.

Usus. In morbis pituitosis, cardialgia, amenorhoea etc. olim adhibuerunt, praeterea et superstitioni videmus apud rusticos inprimis inservire, quippe qui huius herbae applicatione palpitationem cordis diminuere, infantibusque somnos creare quietos arbitrantur.

CLINOPODIUM. *Involucrum* multisetum, verticillo subiectum. *Calyx* bilabiatus. *Corollae* labium superius planum, obcordatum, rectum.

C. *vulgare.* capitulis verticillatis, bracteis setaceis hispidis, foliis superne pilosis remote dentatis, caule subsimplici. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 131. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 333. n. 821.

In silvis v. c. prope Lindenthal, in graminosis elatioribus am Gesundbrunnen, Bieniz. Flor. Jul. Aug.

Offic. Herba Clinopodii arvensis s. Ocymi silvestris. Infusum theiforme exinde paratum bene sapidum subdiaphoreticum, carminativum.

ORIGANUM. *Strobilus* tetragonus, spicatus, calyces colligens. *Corollae* labium superius erectum planum, inferius tripartitum, laciniis aequalibus.

O. *vulgare.* spicis subrotundis paniculatis conglomeratis, bracteis calyce longioribus ovatis LINN.

sp. pl. ed. WILLD. III. p. 135. n. 10. BAUMG. Fl. Lips. p. 332. n. 819. *Icon.* BLACKW, Herb. t. 280.

Inprimis in Thuringiae montibus v. c. prope Leucopetram, etc. Floret Jul — Septbr.

Offic. *Herba* et *Flores Origani vulgaris.*

Planta aromatica, suaveolens, sapore acri, aromatico. Oleum aetherum, camphoram et partes resinoso-gummosas continet.

Vires. Calefaciens, nervina, resolvens, diaphoretica, externe dissolvens.

Usus. Inprimis in morbis pectoralibus hac herba utebantur praeterea in amenorhoea. Oleum aethereum vim antiodontalgicam exserere dicitur.

O. *Maiorana*, LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 137. et O. *Maioranoides*, n. 16. coluntur in hortis et usui medico pariter atque culinari inserviunt.

THYMUS. *Calycis* bilabiati faux villis clausa. *Corollae* labium superius planum, emarginatum.

Th. *Serpyllum*, floribus capitatis, caulibus decumbentibus, foliis planis obtusis basi ciliatis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 138. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 329. n. 810. *Icon.* BLACKW. Herb. 211.

Variet. α. Th. *exserens*, staminib. corolla longioribus. EHRH. β. *includens*, staminib. co-

rolla brevioribus. EHRH. γ. *citriodorus*, foliis ovatis glabris odore melissae officinalis. PERS.

In apricis, collinis, limitibus agrorum. Flor. Jul. Aug.

Th. *lanuginosus*. floribus capitatis, caulibus repentibus hirsutis, foliis obtusis villosis LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 138. n. 2.

In rupibus Thuringiae vulgaris. Floret Jul. Aug. Utraque planta salubris, floret a Junio ad Septbr. *Offic. Herba* et *Flores Serpylli.*

Qualit. Fragrans, aromatica, sapore aromatico amaro. Multum continet olei aetherei rubicundi, nonnihil camphorae.

Vires. Incitans gravissimum, organa abdominalia egregie stimulans.

Usus. In atonia abdominali, externe quoque non sine fructu in clysmatibus, balneis, pediluviis.

Praep. Oleum aethereum. Aqua destillata, Essentia Serpylli.

Th. *vulgaris*, LINN. sp. pl. ed. WILLD. III, p. 139. n. 4. planta notissima culta, culinari potius usui inservit quam medicinali.

ACINOS. *Calyx* bilabiatus sulcatus, piloso-hispidus, basi gibbus, fauce villosus. *Corolla* ringens; fauce subinflata, labio superiore erecto emarginato; inferiore tripartito patente: lacinia intermedia concava. *Stamina* omnia fertilia.

A. *vulgaris*, caule erecto basi ramoso, foliis ovatis acutis antice serratis, verticillis 6-floris.

PERS. Synops. II. p. 131. n. 1, A. *thymoides* MOENCH, Meth. p. 407. *Thymus Acinos* LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 142. n. 10. BAUMG. Fl. Lips. p. 330. n. 812.

In locis arenosis elatioribus, v. c. am Bieriz. in coemeterio pagi Connewitz rarius. Floret Junio, Julio.

Viribus non differt a Thymo Serpyllo. *Offic.* olim *Herba Clinopodii s. Ocymi silvestris.*

Melissa officinalis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 146. n. 1. omnium mitissime suaveolens, colitur ubique in hortis ad arearum margines.

Dracocephalum Moldavica, LINN. sp. pl. ed. WILLD, III. p. 155. n. 14. Huius s. Melissae turcicae s. Moldavicae herba magis a nonnullis laudatur praecedenti, tamen non differt.

MELITTIS. *Calyx* laevis; campanulatus, obtusus, ore obliquus. *Corollae* labium superius planum, inferius crenulatum. *Antherae* cruciatae.

M. *grandiflora*, calyce quadrilobo glabro, corolla lutea-alba, laciniis labii inferioris medio violacea. SMITH. brit. PERS. synops. II. p. 132. n. 2.

In silvis et sepibus rarius v. c. prope Brandis. Floret Maio. *Offic.* *Herba Melissophylli* obsoleta.

SCUTELLARIA. *Calycis* ore integro: post florescentiam clauso, operculato. *Carolla* tubo elongato.

S. *galericulata*, foliis cordati subserrato-crenatis, floribus axillaribus secundis. HAYNE. III. 36. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 173. 6. BAUMG. Fl. Lips. p. 328. n. 808. *Icon.* HAYNE. l. c.

In humidis, ad fossas, rivulos, stagna, in ripis fluviorum et lacuum vulgaris. v. c. am Schoenfelder Teich, am Gesundbrunnen, im Rosenthal etc. Floret Julio, Augusto.

Offic. *Herba Tertianariae s. Triantalis* a nemine hodie quaeritur in officinis; nomen pharmaceuticum inde ortum est quod contra febrem tertianam salubrem crediderint veteres.

PRUNELLA. *Calycis* labium superius dilatatum; *Filamenta* bifurca: altero apice antherifero. *Stigma* bifidum.

P. *vulgaris*, foliis petiolatis oblongo-ovatis basi dentatis, calycis labio superiore truncato triaristato, caule adscendente. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 176. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 331. n. 815. — corollis calyce duplo moioribus SPRENG. Fl. Hal. p. 175. n. 687.

In pratis, hortis, pascuis, silvis ubique; v. c. in der Leimgrube, Vogelwiese, in silva prope Leutsch, Lindenau, Rosenthal etc. Floret Jun — Aug.

Offic. *Herba Prunellae, Brunellae, Consolidae minoris* fere obsoleta, perparum enim ei principii adstringentis roborantis inest. Antea ad gargarismata inprimis cum melle

in cynanche nec non faucium ulceribus externe et contra haemorrhagias, diarrhoeas usitata.

P. *grandiflora*, foliis oblongo-ovatis basi dentatis, calycis labio superiore trifido, caule adscendente. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 177. n. 2. BAUMG. Fl. Lips. p. 331. n. 816. — corollis calyce quadruplo maioribus SPRENG. Fl. Hal. p. 175. n. 788. *Icon.* SCHK. bot. Handb. t. 168.

In collibus, montibus, pratis elatis, v. c. am Bieniz, prope Rögliz. Wurzen etc. Floret Jul. Aug.

Promiscue cum praecedenti collectae, easdem adscripsere veteres vires.

ANGIOSPERMIA.

VERBENA. *Calyx* quinquefidus. *Corolla* infundibuliformis, tubo incurvo, limbo aequali, quinque-fido. *Stamina* quatuor fertilia. *Fructus:* tectus utriculis evanidus. *Semina* quatuor.

V. *officinalis*, spicis filiformibus paniculatis, foliis multifido-laciniatis, caule subsolitario. LINN. sp. pl. ed. WILLD. I. p. 120. n. 20. BAUMG. Fl. Lips. p. 11, n. 31. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 41. SCHK. bot. Handb. t. 5.

In ruderatis, hortis, ad vias, v. c. ad pagum Wahren, Sellerhaussen, in den Kohlgärten, Lindenau etc. Floret Jul — Aug.

Offic. *Herba Verbenae.* Usus obsoletus in cephalalgia, diarrhoea, hydrope, febribus

intermittentibus, praeterea etiam magicus. Herba recens vulneraria. Inter adstringentia numeranda videtur.

EUPHRASIA. *Calyx* cylindricus, quadrifidus. *Corolla* bilabiata: labium superius bifidum; inferius trilobum: laciniis bifidis. *Antherae* inferiores lobis spinosis.

E. *officinalis*, foliis inferioribus ovatis oppositis crenato-serratis obtusis, superioribus alternis argute serratis, laciniis corollae inferioribus lobisque lateralibus emarginatis. WALLR. ann. bot. p. 81. n. 157. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III, p. 195. n. 2. BAUMG. Fl. Lips. p. 334. n. 823. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 427. SCHK. bot. Handb. t. 169.

β. *nemorosa*, caule elongato utplurimum ramosissimo, foliis glabris subnitidis ovatis argute serratis. PERS. Synops. II. p. 149. Caulis teretiusculus, purpureo-violacens, apud nos plerumque simpliciusculus, corollae subcoeruleae, minores quam in E. *officinali*.

Vulgaris in pratis, pascuis herbidis, β. in sterilioribus, collinis, v. c. am Gesundbrunnen, Bieniz, in silva academica, etc. Floret Jul. — Septbr.

Offic. *Herba Euphrasiae* inprimis in oculorum morbis a veteribus eximiis laudibus elata, nihil, experimentis repetitis in his efficere valet.

RHINANTHUS. *Calyx* quadri-fidus, ventricosus. *Corolla* ringens: labio superiore utplurimum compresso. *Capsula* bilocularis, obtusa, compressa.

Rh. *Crista galli*, calyce glabro, corollae labio superiore compresso apice bidentato: dentibus pistilloque exserto coloratis (violaceis) caule maculato. PERS. Synops. II. p. 151. n. 3. Corollarum tubo incurvo, labio superiore compresso breviore Rh. *maior* EHRH. Beitr. VI.

In silvis humidiusculis, pratis silvaticis, v. c. prope Zschocher, Etsch, Connewitz. Floret Jun. Jul.

Rh. *minor*, calyce glabro, corollae labio superiore compresso pistilloque incluso unicoloribus, caule immaculato PERS. Synops II. p. 151. n. 4. Corollarum tubo recto; labio superiori compresso, breviore. Rh. *minor* EHRH.

Vulgaris in pascuis, pratis, v. c. Vogelwiese. Floret Jul. Aug.

Offic. Ab utraque specie *Herba Cristae galli* antea collecta, adstringens, nobis obsoleta. Harum neutra inter frumentum crescit sed distinctissima haec est et saepius cum his modo definitis confusa: Rh. *villosus*, corollae labio superiore compresso, pistillo exserto, calyce cauleque villosis. PERS. Synops. II. p. 151. n. 5. Rh. *Alectorolophus* POLLICH. BOEM. n. 158. BAUMG. n. 850? Haec nonnisi extra Florae Lipsiensis fines certe mihi, in Thuringiae nempe

agris inter segetes occurrit, et iam e longinquo luculenter a nostris speciebus discrepat, est enim multo maior tota planta et ramosa, ramis brachiatis, colore pallidissimo, calyces albido virides hirsuti, valde reticulato-venosi, corollae albido-flavescentes, caulis et folia villosa, bracteae lato-cordatae.

MELAMPYRUM. *Calyx* quadrifidus. *Corollae* labium superius compressum, margine replicato. *Capsula* bilocularis, obliqua, hinc dehiscens. Semina duo, gibba.

M. *arvense*, spicis conicis laxis, bracteis dentato-setaceis coloratis, calycum dentibus scabris, corollis clausis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 198. n. 2. BAUMG. Fl. Lips. p. 537. n. 832.

Varietas bracteis floribusque albis mihi occurrit.

Rarius in Flora nostra v. c. in agris prope Markranstaedt, Leucopetram, copiose in Thuringia. Floret Julio, Augusto,

Offic. olim *Farina Melampyri.*

Panis e farina secalina cum huius semine commixta colore livido tinctus, sapore amaricante insignis, tamen innoxius.

M. *nemorosum*, floribus secundis lateralibus: bracteis dentatis cordato-lanceolatis: summis coloratis sterilibus, calycibus lanatis LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p, 198. n. 4. BAUMG. n. 833.

In silvaticis, nemorosis, vulgare apud nos v. c. in silva prope Connewitz, Leutsch, Bieniz etc. Floret Jun — Aug.

Officinalis quidem herba non est, attamen quum passim pro *Parietaria officinali* Linn. colligatur, notanda. Olim etiam cum praecedente inter herbas vulnerarias relata.

PEDICULARIS. *Calyx* quinquefidus. *Corolla* ringens. *Capsula* bilocularis, mucronata, obliqua. *Semina* tunicata.

P. *palustris*, caule ramoso, calyce bilabiato fimbriato crispo calloso-punctato, galea utrinque dentata Spreng. Fl. Hal. p. 180. n. 715. Linn. sp. pl. ed. Willd. III. p. 202. n. 1. Baumg. Fl. Lips. p. 343. n. 850. *Icon.* Schkuhr. bot. Handb. tab. 171.

In pratis humidis, uliginosis, praecipue prope Schönfeld et Rückmarsdorf. Floret Jun. Jul.

Huius et forte etiam sequentis *Herba Pedicularis aquaticae s. Fistulariae*, mense Maio collecta in officinis asservabatur, siccata viribus plane expers. Herba recens succo acerrimo praedita est.

P. *silvatica*, caule subsimplici, calyce inaequaliter quinquedentato glabro, galea utrinque nuda. Spreng. Fl. Hal. p. 180. n. 716. Linn. sp. pl. ed. Willd. III. p. 203. n. 2. Baumg. Fl. Lips. p. 344. n. 851. *Icon.* Schkuhr. b. H. t. 171. Caules ex una radice plures decumbentes.

In pratis humidiusculis, silvaticis, am heitern Blick, prope Leutsch, Zschocher, Connewitz. Floret Jun. Jul.

LINARIA. *Calyx* quinquepartitus. *Corolla* personata calcarata, palato bipartito. *Capsula* ovata bilocularis apice multivalvis polysperma.

L. *Cymbalaria*, foliis cordatis quinquelobis alternis, caulibus procumbentibus WILLD. Enum. hort. Berol. II. p. 639. n. 1. *Antirrhinum Cymbalaria* LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 232. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 341. n. 842.

Iisdem in locis adhuc occurrit in quibus ante viginti et septem annos legit BAUMGARTEN, nempe ad muros in horto Bosiano et in muris horti antea medici Lipsiensis ad templum St. Pauli. Floret a Maio — Nov.

Offic. Herbam. s. *folia Cymbalariae* antea in haemorrhagiis laudaverunt.

L. *Elatine*, foliis hastatis alternis, caulibus procumbentibus. *Antirrhinum Elatine* LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 234. n. 6. BAUMG. Fl. Lips. p 341. n. 843. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 170.

In agris humidiusculis am Bieniz prope Kleindölzig, praeterea prope Lauchstaedt et Krickstaedt. Floret Aug. — Octbr.

Offic. Olim *Folia Elatines* s. *Herbam Elatines* ad Balsamum praeparandum collegerunt.

L. *vulgaris*, foliis lanceolato-linearibus confertis, caule erecto, spicis terminalibus sessilibus, floribus imbricatis. WILLD. Enum. Hort.

Berol. II. p. 641. n. 20. *Antirrhinum Linaria* Linn. sp. pl. ed. Willd. III. p. 253. n. 55.

In elatioribus, collinis, ad vias, prope Gohlis et Eutritsch, Möckern, Burghausen, am Bieniz, copiose in via qua itur oppidum Wurzen. Floret Jun. — Aug.

Offic. *Herba* et *Flores Linariae* s. *Antirrhini.* Principio acri suspecta. Vires esse dissolventes, anodynae, diureticae, purgantes, dicuntur. Olim interne in ictero, hydrope, et externe in fomentationibus et unguentis ordinaverunt. Prostat nobis adhuc *Unguentum Linariae* quod passim desideratur, cui vero Linaria vix ullam attribuit vim.

ANTIRRHINUM. *Calyx* quinque-partitus. *Corolla* personata basi gibba, palato bipartito. *Capsula* ovata basi gibba bilocularis poris tribus apice dehiscens polysperma. (*Orontium* hoc genus perperam vocat cel. Persoon. quum hoc nomen iam aliud genus Class. VI. Ord. I. ipso Linneo auctore gerat.)

A. *Orontium*, foliis lanceolatis, superioribus alternis, floribus subsessilibus, calycibus corolla longioribus. Willd. Enum. Hort. Berol. II. p. 642. n. 3. Linn. sp. pl. ed. Willd. III. p. 258. n. 65. Baumg. Fl. Lips. p. 343. n. 849.

Planta arvensis vulgaris inter segetes inprimis post messem. Floret Jul. — Aug.

Offic. *Herba Orontii* s. *Antirrhini arvensis maioris.* Sapore acri acrimonium

prodere videtur, itaque suspecta hodie non potius usitata. Diureticam habuerunt veteres.

A. *maius*, foliis lanceolatis oppositis, floribus racemosis calycinis segmentis glanduloso-pilosis ovatis obtusis LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 256. n. 62. BAUMG. Fl. Lips. p. 343. n. 848.

Crescit quasi sponte in muris urbem circumdantibus, inprimis ad pomoerium St. Petri. Floret Jul. Aug.

Offic. *Herba* cum *Floribus Antirrhini maioris.* Non amplius eius viribus dissolventibus opus est. Semen oleiferum.

SCROPHULARIA. *Calyx* quinquefidus. *Corolla* subglobosa, resupinata. *Capsula* bilocularis.

S. *nodosa*, foliis cordatis trinervatis, caule obtus-angulo LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 270. n. 2. BAUMG. Fl. Lips. p. 339. n. 837. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 87.

Ad fossas, fluviorum ripas, ad sepes, fruticeta vulgaris. Floret Jul. Aug.

Offic. *Radix Scrophulariae foetidae.* Est illa viribus dissolventibus, resolventibus, carminativis quas veteres ei tribuerunt forte expers.

S. *aquatica*, foliis cordatis petiolatis decurrentibus obtusis, caule membranis angulato, racemis terminalibus. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 270. n. 3. BAUMG. Fl. Lips. p. 339. n. 838. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 16

In fossis v. c. prope Rückmarsdorf et Klein-dölzig am Bieniz. Floret Jun. Septb.

Offic. Herba Betonicae aquaticae s. *scrophulariae aquaticae.* Hanc etiam inter resolventia, carminativa olim receperunt, nostris vero temporibus vix praescribitur.

Digitalis purpurea LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 283. n. 1. planta narcotica, saluberrima, non indigena nobis nonnisi culta. Planta hortensis viribus eget, spontanea nobis proxima occurrit in montibus Thuringiacis v. c. Jenensibus et in illis propriae silvae Thuringiacae prope Eisenach, in monte Inselsberg, aliisque vidi copiosam, allegantissimum illarum regionum ornamentum. Cf. CARL DARWIN. Experiments, establishing a criterion between mucaginous and purulent matter. Lichtfield, 1780. p. 103. — G. A. HAASE de digitali purpurea in universum etc. Lipsiae, 1812. (cum auctorum reliquorum recensu.)

LATHRAEA, *Calyx* quadrifidus Glandula depressa, ad basin suturae germinis. *Capsula* unilocularis.

L. *Squamaria*, caule simplicissimo, corollis pendulis; labio inferiore trifido. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 201. n. 3. BAUMG. Fl. Lips. p. 334. n. 824. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 430. SCHKUHR. b. II. t. 170.

In silvis humidiusculis, in alnetis ad alnorum radices parasita. Floret Mart. Aprili.

Offic. *Radix Squamariae* s. *Dentariae* obsoleta, nil enim iuvat in epilepsia et exanthematibus chronicis quibus eam opponere veteres soliti sunt.

TETRADYNAMIA.

Obs. Plantae huius classis ob corollam tetrapetalam, petala in crucem disposita in universum plantae *cruciatae* s. *cruciferae*, et ob partium semina recondentium rationem *siliculosae* et *siliquosae* appellatae sunt. Quoad chemicam analysin inprimis acre continent principium externe cutem rubefaciens, inflammans, interne adhibitum antiscorbuticum, diureticum et ubi aucta dosi porrigatur itidem viscera inflammans. Multae sunt plantae culinares.

SILICULOSA.

Lepidium sativum. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 435. n. 10. planta hortensis, culinaris. antiscorbutica, ad acetarias parandas colitur.

THLASPI, *Silicula* emarginata, obcordata, polysperma: valvulis navicularibus, marginato-carinatis.

Th. *Bursa pastoris*, siliculis obcordatis, foliis radicalibus pinnatifidis. LINN. sp. pl. ed.

Willd. III. p. 447. n. 13. Baumg. Fl. Lips. p. 350. n. 867. *Icon.* Blackw. Herb. t. 5.

In ruderatis, agris, muris vulgatissimum. Floret a Maio ad Novbr. *Var.* fol. radic. integris.

Planta olim ob vires stipticas, adstringentes, quibus atrocissima narium haemorrhagia ubi herba humeris modo, nuchae vel arteriarum ramis superficialibus applicaretur cito finem imponere posse dicebatur. Experimenta repetita spem fefellerunt itaque obsoleta. Nomen officinale erat *Herba Bursae Pastoris.*

Th. *arvense*, siliculis orbiculatis, foliis oblongis dentatis glabris. Linn. sp. pl. ed. Willd. III. p. 442. n. 3. Baumg. Fl. Lips. p. 349. n. 864. *Icon.* Blackw. Herb. t. 68.

Frequens in agris fere ubique, v. c. prope Connewitz, Lindenau. Floret Aprili — Jul.

Offic. Olim *Semina Thlaspios.*

COCHLEARIA, *Silicula* emarginata, turgida, scabra: valvulis gibbis, obtusis.

C. *Armoracia*, foliis radicalibus lanceolatis crenatis, caulinis incisis. Linn. sp. pl. ed. Willd. III. p. 451. n. 8. Baumg. Fl. Lips. p. 349. n. 860. *Icon.* Blackw. Herb. t. 415.

Ad ripas fluminum, fossas; ad Plissam am Rosenthal, ad Elystram passim. Floret Jun. Jul.

Offic. *Radix Armoraciae recens*, ubi alia desint vesicantia eodem fine applicanda est, vel ad sinapismum parandum rasa cum sinapios seminibus tritis commiscenda.

CAMELINA, *Stamina* edentata. Stylus sublongus. *Silicula* membranacea (glabra) ovata, aut rotunda, bivalvis, polysperma. *Semina* oblonga laxe striata, nec membrana alata.

C. *sativa*, siliculis obovatis pedunculatis, foliis amplexicaulibus pilosis integerrimis PERS. Synops. II. p. 191. n. 1. *Myagrum sativum* LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 408. n. 7. BAUMG. Fl. Lips. p. 345. n. 853.

Habitat copiose inter linum, etiam colitur in agris. Floret Jun. Jul.

Offic. Oleum e seminibus expressum magis in oeconomia hodie quam in medicina consumitur.

SILIQUOSA.

CARDAMINE. *Siliqua* longa elastice dissiliens, valvulis revolutis, *Stigma* integrum. *Calyx* subhians. *Glandula* utrinque solitaria inter stamina breviora et calycem.

C. *pratensis*, foliis pinnatis: foliolis radicalibus subrotundis: caulinis lanceolatis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 487. n. 19. BAUMG. Fl. Lips. p. 361. n. 889.

In pratis humidiusculis ubique. Floret Maio, Junio.

Antispasticum esse putaverunt. Cf. HAGEN. Dissertat. Regiomonti 1785. 4.

C. *amara*, foliis pinnatis, foliolis omnibus subrotundis, caule basi stolonifero LINN. sp. pl.

ed. WILLD. III. p. 488. n. 20. BAUMG. Fl. Lips. p. 361. n. 890.

Copiose crescit im Rosenthal in locis graminosis subhumidis, in pratis hinter dem Brandvorwerk, in nemorosis der Nonne et alibi passim.

Ad acetariam impenditur eodem modo quo Sisymbrium Nasturtium ubi hoc careant.

SISYMBRIUM. *Siliqua* rostro brevi tereti dehiscens, valvulis rectiusculis. *Calyx* patens. *Corolla* patens.

S. *Nasturtium*, siliquis declinatis, foliis pinnatis: foliolis subcordatis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 489. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 362. n. 894. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 260.

In fossis, rivulis, in aqua limpida, prope Abtnaundorf, Rückmarsdorf, in via qua Merseburgum itur etc. Floret Jun. Aug.

Acetariam praebet bene sapidam, acrem, re vera antiscorbuticam. Nomine *Herbae Nasturtii aquatici* ad *conservam*, *Syrupum*, *aquam* et *spiritum* parandum antea a pharmacopoeis colligebatur. *Oleum* quoque *aethereum* acerrimum elici potest destillatione.

S. *Sophia*, petalis calyce minoribus, foliis dedecomposito-pinnatis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 500. n. 29. BAUMG. Fl. Lips. p. 363. n. 898. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 440.

Ubique ruderatorum murorumque decus. Floret Mai — Jul.

Offic. *Semina Sophiae* s. *Sophiae Chirurgorum* in diarrhoeis morbisque verminosis nec non in calculo vesicae et ulceribus usurpata sunt.

ERYSIMUM. *Siliqua* columnaris, exacte tetraëdra. *Calyx* clausus.

E. *officinale*, siliquis spicae adpressis, foliis runcinatis LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 509. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 352. n. 870. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 28. HAYNE II. t. 13.

Ad vias, in ruderatis, pagis vulgare Floret Jun. — Aug.

Offic. *Herba Erysimi* olim in asthmate, raucedine, tussi, ischuria nonnihil valere arbitrati sunt.

Praep. *Syrupus de Erysimo Lobelii.*

E. *Barbarea*, foliis inferioribus lyratis, lobo terminali rotundato, superioribus obovatis dentatis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 509. n. 2. BAUMG. Fl. Lips. p. 352. n. 871.

In locis palustribus vulgare. Floret Maio — Jul. Planta antiscorbutica etiam hieme folia praebet.

E. *Alliaria*, foliis cordatis LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 510. n. 4. BAUMG. Fl. Lips. p. 353. n. 872. *Icon.* BLACKW. Herb, t. 372.

Sat vulgare ad sepes hortorum, in cultis, silvis. Floret Maio — Jul.

Allium exacte redolet. *Offic.* *Herba Al-*

liariae non amplius adhibetur in asthmate, ulceribus gangraenosis ut a maioribus nostris.

BRASSICA. *Calyx* erectus, connivens. *Dissepimentum* prominens. *Semina* globosa. *Glandula* inter stamina breviora et pistillum, interque longiora et calycem. *Siliquae* teretes, compressae aut tetragonae, rostratae.

B. *Napus.* Linn. sp. pl. ed. Willd. III. p. 547. n. 6. et

B. *Rapa.* p. 548. n. 7. coluntur in agris, altera praebet *Semina Napi,* altera *Radicem* et *semina Rapae* quibus vel raro vel nunquam hoc tempore utimur in medicina.

SINAPIS. *Calyx* patens. *Corollae* ungues recti. Glandula inter stamina breviora et pistillum, interque longiora et calycem. Dissepimentum prominens, ensiforme.

S. *alba,* siliquis hispidis torosis rostro ancipiti brevioribus, foliis pinnatifidis. Spreng. Fl. Hal. p. 191. n. 763. Linn. sp. pl. ed. Willd. III. p. 555. n. 4. Baumg. Fl. Lips. p. 362. n. 892. *Icon.* Blackw. Herb. t. 29.

In agris inter plantas huius classis cultas. Floret Jun. Jul.

S. *nigra,* siliquis glabris tetragonis racemo appressis, foliis ramulorum deflexis, summis linearibus integerrimis glabris. Spreng. Fl. Hal. n. 764. Linn. sp. pl. ed. Willd. III. p. 555. n. 5. Baumg. Fl. Lips. p. 362. n. 893.

Ad vias, in agrorum marginibus, ruderatis, rarius. Floret Jun. Jul.

Utriusque semina ob acrimoniam officinalia, *Semina Sinapios nigra* superant vi *alba*, oritur illa ex oleo aethereo in seminum cortice contento. Semina plerumque cum fermento panis et aceto trita commiscentur ad *sinapismum* conficiendum. Ad balnea usus, revulsiva et pediluvia inprimis, notissimus. Interne sumta stomacho ieiuno, ventriculum firmant et vertigines seniles repellunt.

Raphanus sativus, LINN. sp. ed. WILLD. III. p. 560. n. 1. apud nos colitur in hortis ob radicem quae iisdem quibus reliquae plures, diuretica, carminativa gaudet.

MONADELPHIA.

PENTANDRIA.

ERODIUM. *Calyx* pentaphyllus. *Corolla* pentapetala. *Nectarium* squamulae quinque, cum filamentis alternantes, et glandulae melliferae basi staminum insidentes. *Arilli* quinque, monospermi, aristiti, ad basin receptaculi rostrati; Aristis spiralibus, introrsum barbatis.

E. *cicutarium*, pedunculis multifloris, foliis pinnatis, pinnis pinnatifidis, incisis, corollis calyce maioribus. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. 629. n. 11. BAUMG. Fl. Lips. p. 366, n. 902.

In agris, collibus vulgare. Floret Mai — Sept. Vis imaginata vulneraria.

DECANDRIA.

GERANIUM. *Calyx* pentaphyllus. *Corolla* pentapetata, regularis. *Nectarium* glandulae quinque melliferae, basi longiorum filamentorum adnatae. *Arilli* quinque monospermi, aristati, ad basin receptaculi rostrati; aristis nudis, rectis.

G. *pratense*, pedunculis bifloris, foliis subpeltatis multipartitis rugosis acutis, petalis integris. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 705. n. 21. BAUMG. Fl. Lips. p. 767. n, 907. Pedunculi erecti, folia inciso-serrata, stamina deltoidea.

In Flora nostra rarius in pratis, v. c. Vogelwiese, hinter der Ziegelscheune, copiose versus Thuringiam.

Succo recens expresso veteres utebantur in gangraena et scirrho, herbamque *Gratiam Dei* vocarunt.

G. *Robertianum*, pedunculis bifloris, foliis ternatis quinatisque trifido-pinnatifidis, petalis integris calyce aristato duplo longioribus, arillis reticulatis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 714. n. 38. Pedunculi erecti submultiflori, calyx

decagonus. BAUMG. Fl. Lips. p. 363. n 908. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 480.

In alnetis, locis umbrosis humidiusculis, ad muros, sepes, v. c. prope Schoenfeld, Burghausen, in hortis suburbanis et rusticanis plurimis. Floret Mai. Jul.

Odore hircino foetet *Herba Geranii Robertiani.* Ob vim adstringentem vulneraria olim habebatur et in haematuria, hysteria, ulceribus eam commendarunt.

POLYANDRIA.

Obs. Huc referendae sunt plantae *Malvaceae, Columniferae* a LINNEO ob filamenta in columnam connata dictae, calyce nunc simplici, nunc duplicato, petalis quinque distinctis, aut basi connatis, filamentis 10 — 12 aut pluribus, nunc omnibus in tubum coalitis, basi corolliferum, nunc basi tantum connatis, in urceolum antheriferum, filamentis passim sterilibus intermixtis, fructu aut multiloculari, multivalvi, s. circa styli basin verticillato, perispermio nullo distinguuntur. Quoad analysin mucilaginis copiam continent, quam ob rem ad emollientia, lubricantia, demulcentia pertinent remedia.

Althaea rosea. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 773. n. 7. hortorum ornamentum eximium et notissimum *Flores Malvae orboreae* s. *altissimae* s. *hortensis* praebent quibus

decoctis ad inflammationes cutaneas dissolvendas utimur. Etiam *Malvae Alceae* semina ab eadem originem ducunt.

A. *officinalis*, p. 770. n. 1. quae proxima nobis spontanea crescit ad lacum salsum et pagos vicinos in Mansfeldia, omnes affinis species virium blanditie superat. Praebet *Flores*, *Herbam*, *Radicem Altheae* s. *Bismalvae*.

MALVA. *Calyx* duplex: exterior triphyllus. *Capsulae* plurimae monospermae.

M. *rotundifolia*, caule subprostrato pubescente scabriusculo, foliis pubescentibus, inferioribus cordato - orbiculatis obsolete septemangularibus, superioribus subquinquelobis, pedunculis pubescentibus fructiferis declinatis. HAYNE I. 27. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 786. n. 40. BAUMG. Fl. Lips. p. 371. n. 916. *Icon.* HAYNE l c. SCHKUHR b. H. t. 192.

Planta vulgaris, in omnibus pagis et ruderatis, sed etiam in aggeribus et muris ad urbem obvia. Floret Jun. — Aug.

Offic. *Flores*, *Herba*, *Radix* et *Semina Malvae rotundifoliae* s. *vulgaris*.

Est re vera emolliens, obtundens, lubricans, relaxans, viribus Altheae pedisequa, ad cataplasmata emollientia, maturantia, ad gargarismata, collyria aptissima.

M. *silvestris*, caule suberecto piloso scabro, foliis septemlobis pubescentibus, petiolis pedunculisque pilosis, petalis emarginatis. HAYNE I. 28.

LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 787. n. 43. BAUMG. Fl. Lips. p. 371. n. 918. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 22. HAYNE l. c.

In viis, ruderatis, graminosis, silvaticis. In ambulacro, prope Lindenau etc. Jun. — Septr.

Flores, Herba, Radix et *semina Malvae silvestris* iisdem ac praecedentis viribus gaudent.

M. *Alcea*, caule erecto scabro, foliis scabriusculis, inferioribus angulatis, superioribus quinquepartitis, calycis exterioribus foliolis oblongis. HAYNE I. 30. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 790. n. 50. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 309. HAYNE l. c.

In montosis, aggeribus, graminosis passim, v. c. prope Stameln, am Kickerlingsberg. Floret Jul. Aug.

Offic. Herba et *Radix Alceae*, iisdem viribus pollent.

DIADELPHIA.

Obs. Plantae *Papilionaceae.* Calyx monophyllus; Corolla calyci inserta, constat plerumque vexillo; carina et alis; stamina in plurimis in fasciculos duos connata; Pistillum unicum;

Fructus leguminosus. Analysi gummi ex iis elicitur inprimis, certe ex ordinis III. speciebus.

HEXANDRIA.

CORYDALIS. *Calyx* diphyllus. *Corolla* ringens. *Filamenta* duo, membranacea, singula Antheris tribus. *Capsula* siliquosa, polysperma.

C. *bulbosa*, caule simplici, racemo terminali, bracteis oblongis pedunculo longioribus, foliis biternatis oblongis acutiusculis, radice tuberosa cava. *Fumaria bulbosa* LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 860. n. 10. BAUMG. Fl. Lips. p. 380. n. 931. F. *cava* EHRH. *maior* ROTH. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 534.

In nemorosis, in horto Bosiano, Connewitz, Raschwitz passim. Floret Martio, Aprili.

Offic. olim *Aristolochiae cavae Radix.*

C. *fabacea*, caule simplici, racemo terminali, bracteis subrotundis longitudine florum, calcare corollae recto, foliis biternatis radice tuberosa. *Fumaria fabacea* LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 862. n. 12. SCHWAEGRICH. Topogr. IV. p. 8. F. *intermedia* EHRH.

Praecedenti similis, rarior. In aggeribus et marginibus silvarum et in nemoribus sicciusculis, Raschwitz, Connewitz, Stüntz etc. Floret Mart. Aprili.

Radix forte cum illa sequentis promiscue asservata. Offic. *Radix Aristolochiae fabaceae.*

C. *Halleri*, caule simplici, racemo terminali, bracteis cuneatis digitatis pedunculo longioribus, foliis biternatis, radice tuberosa. *Fumaria Halleri* LINN. spec. pl. ed. WILLD. III. p. 863. n. 14. BAUMG. Fl. Lips. p. 38. n. 932. F. *solida* EHRH. HOFFM. *bulbosa*. RETZ. *minor*. ROTH. *Corydalis digitata* PERS. Synops. p. 269. n. 16. *Icon*. BLACKW. Herb. t. 534.

In collinis, montosis, nemorosis. Am Bienitz, prope Eutritsch. Floret Martio, Aprili.

Offic. *Radix Aristolochiae Rotundae* s. *Fumariae Bulbosae*.

Omnibus his harum specierum radicibus vires pellentes, emmenagogas veteres adscripserunt.

FUMARIA, *Calyx* diphyllus, deciduus. *Corolla* irregularis, basi calcarata. *Filamenta* duo, singula antheris tribus. *Capsula* unilocularis, evalvis, monosperma. *Semen* parieti affixum.

F. *officinalis*, caule ramoso diffuso, siliquis globosis monospermis retusis, foliis supradecompositis, foliolis cuneiformi-lanceolatis incisis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 867. n. 25. BAUMG. Fl. Lips. p. 381. n. 934. *Icon*. BLACKW. Herb. t. 237.

In cultis, inter olera et segetes, in agris et hortis, etiam in muris obvia. Floret a Maio ad autumnum.

Herba Fumariae s. tota planta cum floribus colligitur ad parandum *Extractum*.

Herba vix odora, sapore amaro, salino, quum praeter extractum, etiam Kali muriaticum insit.

Vires, resolvens, stomachica, roborans.

Usus, in atonia abdominis in morbis pituitosis et scrophulosis inprimis salubris. Etiam succo recens expresso utimur interdum in curis vernalibus.

OCTANDRIA.

POLYGALA. *Calyx* pentaphyllus: foliolis duobus alaeformibus, coloratis. *Capsula* obcordata, bilocularis, bivalvis.

P. *vulgaris*, floribus cristatis racemosis, alis calycinis trinerviis obtusis longitudine corollae, caulibus procumbentibus, foliis lineari-lanceolatis acutiusculis Linn. sp. pl. ed. Willd. III. p. 873. n. 6. Baumg. Fl. Lips. p. 382. n. 337. Corolla variat colore coeruleo, carneo, albo.

In pratis siccis et collibus v. c. am Gesundbrunnen, im verschlossenen Holze, prope Schoenfeld etc. Floret Jun. Jul.

Radix et *Herba Polygalae vulgaris* hodie non colligitur sed haud raro commistae sunt cum P. *amara* quae differt; alis calycinis corolla longioribus caulibus erectiusculis, foliis obtusis, radicalibus obovatis. Crescit haec potius in montibus.

DECANDRIA.

SPARTIUM. *Calyx* deorsum productus. *Carina* (quibusdam) pendula. *Filamenta* germini adhaerentia. *Stigma* longitudinale, supra villosum. *Legumen* oblongum mono - aut polyspermum.

S. *scoparium*, foliis ternatis, solitariisque oblongis, floribus axillaribus, leguminibus margine pilosis, ramis angulatis. Linn. sp. pl. ed. Willd. III. p. 933. n. 19. Baumg. Fl. Lips. *Icon.* Schkuhr. b. H. t. 194.

In silvis siccioribus v. c. am heitern Blick, prope Lindenthal, Machern, Wurzen, Düben. Floret Jul. Aug.

Offic. olim *Herba*, *Flores* et *Semina Genistae* colligebantur, ex opinione veterum purgantia, pellentia, emmenagoga. *Praep. Sal Genista* obsoletum.

GENISTA. *Calyx* bilabiatus; $\frac{2}{3}$, dentibus binis superioribus brevissimis. *Vexillum* oblongum, a pistillo staminibusque deorsum reflexum.

G. *tinctoria*, foliis lanceolatis glabris, ramis teretibus striatis erectis, leguminibus glabris Linn. sp. pl. ed. Willd. III. p. 939. n. 8. Baumg. Fl. Lips. p. 383. n. 936.

In sterilibus silvarum locis, in collibus, in silva academica, am Bieniz, prope Leutsch etc. Floret Jun. — Aug.

Offc. *Herba*, *Flores* et *Semina Ge-*

nistae tinctoriae olim etiam ad medicinalem usum asservabantur. Nobis est planta tinctoria.

ONONIS. *Calyx* quinquepartitus: laciniis linearibus. *Vexillum* striatum. *Legumen* turgidum, sessile. *Filamenta* connata absque fissura.

O. *spinosa*, floribus snbgeminatis axillaribus, foliis inferioribus ternatis lanceolatis serratis. ramisque spinosis villosis LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 989. n. 2. BAUMG. Fl. Lips. p. 387. n. 942. *Icon.* BLACKW. Herb. tab. 301. f. 1.

Ad vias, agrorum margines, in collibus, pratis. Am Gesundbrunnen, Vogelwiese, Gohlis, Stoetteritz, Connewitz etc. Floret Jun. Aug.

O. *hircina*, floribus geminatis, foliis inferioribus ternatis ellipticis serratis pubescentibns, caule inermi villoso-viscoso. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 989. O. *arvensis*. BAUMG. Fl. Lips. p. 387. n. 943.

Non immixta prioris sed rarius legitur prope Stameln ad viam, prope Markranstaedt ad agro, rum margines, frequens in Thuringia. Floret Jul. Aug.

Radix et *Herba Ononidis* a veteribus celebratae ut diureticae. LINNEUS etiam in febri Hungarica Radicem laudat.

ANTHYLLIS. *Calyx* ventricosus. Legumen subrotundum, tectum mono s. trispermum.

A. *Vulneraria*, herbacea, foliis pinnatis aequalibus. Linn. sp. pl. ed. Willd. III. p. 1058. n. 2. Baumg. Fl. Lips. p. 386. n. 941.

In elatioribus, collinis am Bieniz, etc. Floret Jun — Aug.

Vim vulnerariam ei adscripserunt unde nomen: *Herba Vulnerariae.*

LATHYRUS. *Stylus* planus, supra villosus, superne latior. *Calycis* laciniae superiores duae breviores.

L. *tuberosus*, pedunculis multifloris, cirrhis diphyllis: foliolis ovalibus, internodiis nudis Linn. sp. pl. ed. Willd. III. p. 1088. n. 25. Baumg. Fl. Lips. p. 395. n. 958.

In agris, inter segetes prope Connewitz, Schoenau etc. Floret Jul. Aug.

Radix tuberosa, tuberibus ex amylo constantibus, nutrientibus.

MELILOTUS. *Calyx* tubulosus quinquedantatus. *Corolla* decidua. *Carina* adpressa. *Legumen* oligospermum dehiscens calyce longius.

M. *Officinalis*, leguminibus racemosis nudis dispermis subrugosis ovatis subcompressis acutis, stipulis subulatis, caule erecto. Willd. Enum. Hort. Berol. II. p 790. n. 8. *Trifolium officinale.* Linn. sp. pl. ed. Willd. III. p. 1355. n. 8. *Trifolium Melilotus officinalis* Baumg. Fl. Lips. p. 410. n. 987. Corolla flava. *Icon.* Hayne. II. 31.

M. *vulgaris*, leguminibus racemosis nudis monospermis rugosis obovatis acutis, stipulis setaceis, caule erecto Willd. Enum. Hort. Berol. II. p. 790. n. 9. *Trifolium officinale β.* flore albo. Linn. l. c. Baumg. l. c. *Icon.* Blackw. Herb. t. 80. Hayne. II. 32.

Utraque species, M. vulgari rarior, crescit in agris lapidosis, ad vias in collibus arenosis v. c. prope Schkeudiz, Stameln, Wahren, Vogelwiese, Schleussig, copiose in via qua itur Merseburgum. Floret Aug. Septbr.

Offic. Herba, Flores et *Semina Meliloti citrini* et *albi.* Adhibemus ea externa ad cataplasmata emollientia. *Praep. Unguentum* et *Emplastrum de Meliloto.*

SYNGENESIA.

Obs. Compositae, plantarum naturalis familia vastissima. Flosculi plurimi in calyce uno dispositi et ita aggregati ut unum quasi florem simulent. Flosculi vel tubulosi, vel ligulati. Antherae connexae. Stylus unicus. — Plantae lactescentes plures, principium extractivum cum sapone aut oleo aethereo recondentes.

AEQUALIS.

TRAGOPOGON. *Calyx* simplex, polyphyllus. *Receptaculum* nudum. *Pappus* plumosus, stipitatus.

T. *pratensis*, calycibus corollae radium aequantibus, foliis integris strictis LINN. sp, pl. ed. WILLD. III. p. 1492. n. 1. *Tr. pratense* BAUMG. Fl. Lips. p. 432. n. 1027. Radius inconstans in una eademque planta calycem aequat et superat, crescit enim usque anthesis sit perfecta. Pedunculi teretes, folia carinata subundulata.

Habitat in pratis, locis graminosis. Floret Jun. Aug. Radiis nonnisi horis matutinis coelo sereno explicatis.

Radix Tragopogonis diuretica dicta est atque lithontriptica, sed forte immerito.

SCORZONERA. *Calyx* imbricatus, squamis margine scariosis, *Receptaculum* nudum. *Pappus* plumosus, substipitatus.

S. *humilis*, caule subsimplici unifloro, squamis calycinis arachnoideo-tomentosis, foliis radicalibus nervosis planis longe petiolatis oblongo lanceolatis, caulinis linearibus intermixtis integerrimis. WALLR. ann. bot. p. 92. n. 176. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 1499. n. 3. BAUMG. Fl. Lips. p. 435. n. 1034.

In collibus silvaticis passim v. c. am Bieniz. Floret Jun. Jul.

S. *laciniata*, foliis inferioribns pinnatifidis linearibus, superioribus linearibus, calycibus glabris, squamis inferioribus patulis mucronatis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 1506. n. 24. BAUMG. Fl. Lips. p. 436. n. 1037.

Ad vias in locis apricis, v. c. in via qua itur Merseburgum versus, bei der Windmühle, etc. Floret Jun. — Aug.

Utriusque radix eodem modo adhibenda ac illa *Scorz. hispanicae.* LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 1499. n. 4. et *Scorz. glastifolia* n. 5. ad usum culinarem pariter ac pharmaceuticum, sed quum vires ei praeter nutrientem fere nullae sint obsoleta videtur. *Offic.* olim *Radix, Herba* et *Semina Scorzonerae.*

SONCHUS. *Calyx* imbricatus, ventricosus. *Receptaculum* nudum. *Pappus* pilosus, sessilis.

S. *oleraceus*, pedunculis subtomentosis umbellatis calycibus glabris, foliis lanceolatis amplexicaulibus denticulatis subsinuatis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 1514. n. 17. BAUMG. Fl. Lips. p. 446.

Varietates inprimis nobis occurrunt:

α. *laevis*, foliis amplexicaulibus dentatis integris, et semipinnatis, calycibus laevibus. HALL. helv. n. 21. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 130. HAYNE. I. 48.

Habitat in cultis ubique. Floret Jun. Aug.

β. *asper*, foliis amplexicaulibus, rigidis, integris et semipinnatis, dentatis, calycibus laevibus.

Hall. helv. n. 22. *Icon.* Blackw. Herb. t. 30.

In ruderatis, ad muros passim. Floret Jun. — Septb.

Secundum seminum formam inprimis, certiora fortasse momenta distinctionis invenit Wallroth:

a. *oleraceus*, pedunculis demum nudis, foliis runcinato-lyratis amplexicaulibus integrisve, seminibus margine dorsoque transversim scabris.

b. *fallax*, Wallr. pedunculis calycibusque demum nudis, foliis amplexicaulibus ovato-oblongis laciniatis eroso-dentatis runcinatis, seminibus utrinque glabris tristriatis. *ann. bot.* p. 98.

Planta ad acetariam apta, tempore verno, *succus* eodem tempore *recens expressus* in curis vernalibus adhibendus est, *Radix* loco illius Taraxaci.

LACTUCA. *Calyx* imbricatus, cylindricus, margine membranaceo. *Receptaculum* nudum. *Pappus* simplex, stipitatus. *Semina* laevia.

S. *Scariola*, foliis aversis runcinato-pinnatifidis denticulatis basi sagittatis carina aculeatis. Hayne I. 46. Linn. sp. pl. ed. Willd. p. 1526. n. 11. Baumg. Fl. Lips. p. 441. n. 1046. *Icon.* Hayne. l. s.

Differt L. *virosa*, foliis avensis oblongo-lanceolatis denticulatis basi sagittatis carina

aculeatis: infimis sinuatis. HAYNE. I. 47. in locis a BAUMGARTENIO indicatis non obvia.

In aggenibus circa urbem, ad muros in ruderatis. Floret Jun. — Aug.

Herba Scariolae colligitur ad usum officinalem inprimis, ad *Extractum Scariolae* inde parandum, cui vires potiores resolventes, diaphoreticae et diureticae, in Hydrope et Ictero inprimis laudatae, adscriptae sunt. Plerumque plantam cum L. virosa commiscuerunt, ita ut Scariolam nomine virosae adhiberent, et illa interdum pro hac specie uterentur. Utraque planta non commendanda est quum eius magna opus sit dosi, quam ob nauseosum saporem aegri respuunt.

LEONTODON. *Calyx* duplex. *Receptaculum* nudum. *Pappus* stipitatus, plumosus.

L. *Taraxacum*, calyce exteriore reflexo, scapo unifloro, foliis runcinatis glabris, laciniis lanceolatis dentatis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 1544. *Taraxacum officinale.* BAUMG. Fl. Lips. p. 433. n. 1030. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 1. et 501. HAYNE. II. 4.

Radix subfusiformis, perpendicularis, fibrosa; scapus erectus, teres, glaber, laevis, fistulosus, monanthos, semi — 1 pedalis et ultra; folia radicalia horizontalia aut patentia, runcinata, runcinato - dentata, dentata, glabra, iuniora subpilosa. Tota planta maxime lactescens.

Planta vulgaris, notissima, currit ad vios in cultis et pratis.

Offic. Radix Taraxaci olim et *Herba* s. *Folia.*

Est planta inodora, sapore amaro. Extractum continet saponaceum. Viribus gaudet resolventibus, stomachicis.

Utimur *Extracto* nec non *succo recens expresso* e herba et radice ubi functiones organorum abdominalium retardatae, vel ab infarctis vel vasorum debilitate et stagnationibus pendeant, sic v. c. in curis vernalibus, in exanthematibus chronicis etc. Radix sicca inter species lignorum recepta est.

HIERACIUM. *Calyx* imbricatus. *Receptaculum* nudum, aut passim subpilosum. *Pappus* simplex, sessilis.

H. *Pilosella* foliis integerrimis ovatis subtus tomentosis, stolonibus repentibus, scapo unifloro. LINN. sp. pl, ed. WILLD. III. p. 1563. n. 10. BAUMG. Fl. Lips. p. 442. n. 1049. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 365. HAYNE III. 42.

In aridis siccis, apricis ad vias, colles. Floret Mai — Aug.

Offic. Olim *Radix* et *Herba pilosellae* s. *Auriculae muris.* Principium extractivum continet amarum et subadstringens, laudatur a veteribus in diarrhoeis, haemorrhagiis, ulceribus, phtisi, externe in herniis, et pulverisatum in epistaxi.

H. *murorum*, caule erecto folioso piloso simplici, floribus paniculatis, foliis ovatis basi profunde dentatis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 1577. n. 41. BAUMG. Fl. Lips. p. 444. n. 1053. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 538.

In muris ad pomoeria, in aggeribus, silvis. Floret Jun. Jul.

Offic. Herba Pulmonariae gallicae antea in morbis pectoralibus celebrata est.

H. *sabaudum*, caule erecto simplici, foliis ovato-oblongis subglabris acutis sessilibus subamplexi-caulibus basin versus dentatis, floribus corymbosis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 1589. n. 65. BAUMG. Fl. Lips. p. 444. n. 1056.

Habitat in silvis, v. c. Leutsch, Lindenau, Lindenthal, Zschocher, Raschwitz, Connewitz, am Bieniz, in silva academica. Floret Jul. — Septbr.

H. *umbellatum*, caule erecto simplici, foliis linearibus subdentatis, floribus corymboso-umbellatis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p, 1591. n. 70.

In pascuis silvaticis, locis graminosis elatioribus v. c. am Gesundbrunnen, Bieniz, Lindenau, Leutsch, in silva academica. Floret Jul. — Sept.

Utriusque radix laudatur antifebrilis.

CICHORIUM. *Calyx* calyculatus. *Receptaculum* subpaleacum. *Pappus* polyphyllus, paleaceus.

C. *Intybus*, floribus axillaribus geminis subsessilibus, foliis runcinatis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 1628. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 429. n. 1022. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 177 et 183. HAYNE II. 24.

Ad vias, in locis apricis, sterilibus, ad agrorum margines planta vulgaris. Floret Jun. — Septbr.

Offic. Olim *Flores*, *Semina* et *Herba*, hodie nonnisi *Radix* interdum colligitur. Similes in se continet ac Taraxacum vires tamen gradu minori. Inter praeparata *Aqua* et *Conserva* plane obsoleta sunt, *Syrupus Cichorei* c. *Rheo* adhuc prostat in officinis.

ARCTIUM. *Calyx* globosus: squamis apice hamis inflexis. *Receptaculum* paleacum. *Pappus* setoso-paleaceus.

A. *Lappa*, foliis caulinis cordati petiolatis denticulatis, calycibus laevibus. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 1631. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 454. n. 1079. var. α. Arctium capitulis glabris maioribus. BOEHM. *Icon.* HAYNE II. 35.

var. α. *maior*, squamis calycinis margine paleaceis. SCHKUHR b. H. t. 227.

β. *minor*, squamis calycinis margine setosis. SCHKUHR b. H. t. 227.

In locis desertis, incultis, ad vias, sepes, in fruticetis et silvis, α. in humidiusculis β. in siccis. Floret Jul. Aug.

A. *Bardana*, foliis caulinis cordatis petiolatis integerrimis, calycibus arachnoideo-tomentosis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 1632. n. 2. A. *Lappa* var. β. capitulis tomentosis BOEM. BAUMG. Fl. Lips. p. 454. n, 1079. *Icon.* HAYNE II. t. 36. *Arctium tomentosum.* SCHKUHR b. H. t. 227.

In ruderatis, ad vias. Floret Jul. Aug.

Offic. Radix Bardanae.

Radix crassa perpendicularis, subramosa, fibrosa, nigricans interne albido-flavescens, sapore subdulci, demum austero subamaro; ab utraque planta diligenter olim congerebatur. Vis radicibus inesse putatur resolvens, diaphoretica, diuretica. Mucilaginis inest copia. Utimur ea in morbis scrophulosis, syphiliticis, exanthematibus chronicis, nec frustra, unde et hodie speciebus s. d. lignorum immixtam deprehendimus.

CARDUUS. *Calyx* imbricatus ventricosus squamis spinosis. *Receptaculum* villosum. *Pappus* capillaris s. scaber.

C. *Marianus*, foliis amplexicaulibus hastato-pinnatifidis spinosis, calycibus aphyllis: spinis canaliculatis duplicato-spinosis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 1659. n. 31. BAUMG. Fl. Lips. p. 451. n. 1073. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 79.

Rarius occurrit in cultis, aggeribus. Floret Jul. Aug.

Offic. Herba et *Semina Cardui Ma-*

riae in Pleuritide, Leucorrhoea, hydrophobia, cancro commendata exstant.

CNICUS *Calyx* imbricatus ventricosus, squamis spinosis *Receptaculum* villosum, Pappus plumosus.

C. *oleraeeus*, foliis amplexicaulibus cordatis pinnatifidis ciliato-serratis, floribus terminalibus subracemosis bracteatis, bracteis subcoloratis ovatis, calycinis squamis lanceolatis spinosis. Linn. sp. pl. ed. WILLD. III. p.1778. n.36. BAUMG. Fl. Lips. p. 448. n. 1065. *Icon.* SCHKUHR. b. H. t. 229.

In pratis nemorosis humidiusculis, uliginosis vulgaris, v. c. prope Gohlis, Eutritsch, Schönfeld etc. Floret Jul. Aug.

Planta tempore verno cocta omnino oleribus similis, ita quoque Brassicae loco Rossiae incolae eam adhibere solent.

ONOPORDON, *Calyx* imbricatus squamis mucronato-pungentibus. *Receptaculum* favosum. *Pappus* pilosus, caducus. *Semina* transverse sulcata.

O *Acanthium*, calycinis squamis patentissimis, foliis decurrentibus tomentosis sinuatis. dentatis spinosis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 1686. n. I. BAUMG. Flor. Lips. p. 452. n. 1076. *Icon.* SCHKUHR b. H. t. 230.

In aggeribus circa urbem, in ruderatis ad pagos. Floret Jul, Aug.

Offic. Olim *Herba* et *Semina Acanthii vulgaris.* Succus recens expressus etiam in gangraena et ulceribus inveteratis laudatur.

CARLINA. *Calyx* radiatus squamis marginalibus longis, coloratis. *Corollae* flosculosae. *Re-*

ceptaculum paleaceo-setosum. *Pappus* paleaceo-plumosus.

C. *vulgaris*, caule multifloro corymboso pubescente, foliis lanceolatis dentatis spinosis subtus pubescentibus. Linn. sp. pl. ed. Willd. III. p. 1696. n. 9. Baumg. Fl. Lips. p. 448. n. 1064.

In arenosis apricis, campestribus. v. c. am Bieniz, prope Maisdorf. Floret Jul. — Septb.

Offic. *Radix Heracanthae* nunc obsoleta.

C. *acaulis* Linn. sp. pl. ed. Willd. III. p. 1693. n. 1. quam Baumgarten etiam in Flora nostra enumerat et quae *Radicem Carlinae* s. *Cardopatiae* praebet, in locis ab illo indicatis nondum, in rupestribus vero Florae Erfurtensis vulgarem vidi.

BIDENS. *Calyx* subaequalis calyculatus. *Corollulae* rarius flosculo uno alterove instructae. *Receptaculum* paleaceum, planum. *Pappus* aristis 2. s. 4. reflexis et erectis scabris. *Semina* tetragona.

B. *tripartita* floribus discoideis, calycibus exterioribus flore maioribus, seminibus erectis, foliis tripartitis lanceolatis dentatis Linn. sp. pl. ed. Willd. III. p. 1715. n. 1. Baumg. Fl. Lips. p. 455. n. 1081. *Icon.* Blackw. Herb. t. 519.

In locis paludosis, ad fossas, stagna vulgaris. Floret Jul. Aug.

Offic. *Radix* et *Herba Bidentis* olim inter diuretica recepta est. Externe vulneraria.

EUPATORIUM. *Calyx* simplex aut imbricatus, oblongus. *Stylus* semibifidus, longus. *Receptaculum* nudum. *Pappus* pilosus s. scaber.

E. *Cannabinum*, foliis petiolatis tripartitis laciniis lanceolatis serratis intermedia longiora. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 1756. n. 23. BAUMG. Fl. Lips. p. 454. n. 1080. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 110.

In locis aquosis, ad fossas v. c. prope Abtnaundorf, am Bienitz etc. Floret Jul. Aug.

Offic. Planta acris, amara. *Herba* et *Radix Eupatorii* antea ob vim purgantem in hydrope, ictero etc. laudata. Externe vulneraria.

SUPERFLUA.

TANACETUM. *Calyx* imbricatus, hemisphaericus, squamis acuminatis. *Corollae* radii obsoletae, trifidae. *Receptaculum* nudum. *Pappus* subemarginatus.

T. *vulgare*, foliis bipinnatifidis, laciniis serratis. HAYNE II. 6. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 1814. n. 18. BAUMG. Fl. Lips. p. 457. n. 1088. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 464. HAYNE II. t. 6.

In aggeribus, agrorum versuris, ad ripas fluviorum, v. c. Vogelwiese, Gesundbrunnen. Floret Jul. Aug.

Offic. *Herba Flores* et *Semina Tanaceti* amara, aromatica, fragrantia, oleo aethereo impraegnata, sapore amaro, aromatico prae-

dita vim exercent anthelminthicam. In cardialgia huius infusum vinosum specificum praedicatur. Praeparata exstant *Pulvis*, *Oleum aethereum*.

ARTEMISIA. *Calyx* imbricatus squamis rotundatis, conniventibus. *Corollae* radii nullae. *Receptaculum* subvillosum, vel nudiusculum. *Pappus* nullus.

A. *campestris*, caulibus ramosis virgatis procumbentibus, floriferis adscendentibus, foliis setaceis glabris, radicalibus pinnatis, pinnis trifidis incanis, floribus oviformibus pedunculatis. Hayne II. 9. Linn. sp. pl. ed. Willd. III. 1827. n. 28. Baumg. Fl. Lips. p. 456. n. 1084. *Icon.* Schkuhr b. H. t. 240.

Ad vias in locis apricis v. c. prope Gohlis in via qua itur versus pagum Lindenthal.

Offic. Herba s. Summitates Artemisiae rubrae olim colligebantur.

A. *Absinthium*, foliis incanis, radicalibus triplicato-pinnatifidis, laciniis lanceolatis dentatis obtusis, caulinis bipinnatifidis, pinnatifidisve laciniis lanceolatis acutiusculis, floralibus indivisis lanceolatis, floribus globosis pedunculatis nutantibus. Linn. sp. pl. ed. Willd. III. p. 1844. n. 63. Baumg. Fl. Lips. p. 457. n. 1086. *Icon.* Blackw. Herb. t. 17. Hayne II. t. 11.

In ruderatis, hortis, ad pagos passim. Floret Jul. Aug.

Offic. Herba Absinthii. Etiam hoc tempore et merito saluberrimam hanc pharmacopoei herbam colligunt, quae inter amarissimas pertinet, aromaticas, fragrantes. Vis insignis stomachica, roborans, anthelminthica. Praeparatur ex ea: *Extractum, Essentia, Oleum destillatum* et *coctum*, olim et *conserva, Spiritus et Sal.*

Herba Absinthii siccata etiam externe haud raro adhibetur in clysmatibus visceralibus, balneis roberantibus etc.

A. *vulgaris,* foliis subtus tomentosis, caulinis pinnatifidis, laciniis lanceolatis subdentatis acutis, floralibus indivisis linearibus lanceolatis, floribus subsessilibus oblongis erectis, calycibus tomentosis. LINN. sp. pl, ed. WILLD. III. p. 1845. n. 115. BAUMG. Fl. Lips. p. 457. n. 1078. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 431. HAYNE II. 12.

Var. *α. alba β. rubra.*

In aggeribus, ruderatis, in pagis ad muros, sepes vulgaris. Floret Jul. Aug.

Officinis praebuit olim *Herbam, Flores* et *Summitates Artemisiae albae,* E tomento in foliorum pagina inferiori foliolisque floralibus *Moxa* paratur, quam alii ab A. *vulgari* parari volunt.

A. Dracunculus. LINN. sp. pl. ed. WILLD. p. 1848. n. 70. exotica, ad culinarem usum in hortis culta.

GNAPHALIUM. *Calyx* imbricatus squamis marginalibus rotundatis, scariosis nitidis, coloratis breviusculis. *Receptaculum* nudum. *Pappus* pilosus s. plumosus.

G. *arenarium*, herbaceum, foliis incanis tomentosis obtusis, radicalibus spathulato-lanceolatis, caulinis lineari-lanceolatis corymbo composito. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 1867. n. 47. BAUMG. Fl. Lips. p. 459. n. 1091. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 529.

β. aurantiacum, floribus dense approximatis. PERS. Synops. pl. II. p. 418.

In campis arenosis, versuris agrorum, in apricis, vulgare am Bieniz, ad pagum Stameln, Litschaene etc. Floret Jun. — Aug. var. *β.* passim occurrit, etiam prope Connewitz.

G. *dioicum*, sarmentis procumbentibus, caule simplicissimo, foliis radicalibus spathulatis, corymbo coarctato, floribus dioicis, calycinis squamis interioribus elongatis obtusis coloratis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 1882. n. 87.

In arenosis, campestribus, pratis. Floret Maio, Jun.

Offic. Pes Cati s. *Gnaphalii Flores* hoc tempore plane obsoleti.

ERIGERON. *Calyx* fructus in quibusdam reflexus. *Corollae* radii lineares, angustissimae. *Receptaculum* nudum. *Pappus* pilosus.

E. *acre*, caule racemoso, pedunculis alternis plerumque unifloris. HAYNE. III. 30. LINN. sp. pl.

ed, WILLD. III. p. 1959. n. 22. BAUMG. Fl. Lips. p. 467. n. 1113. *Icon.* HAYNE. l. c. SCHKUHR. b. H. t. 241.

Ad vias, in sterilioribus locis, arenosis, elatis, in muris v. c. in pomoerio ad portam Halensem, in via qua itur versus Lindenthal, in der Sandgrube etc. Floret Jul. Aug.

Offic. Herba Conyzae minoris ob acrimoniam olim in morbis pectoralibus ordinabatur.

TUSSILAGO. *Calyx* simplex, squamae aequales, discum aequantes, submembranaceae. *Corollae* femineae ligulatae s. edentulae. *Receptaculum* nudum. *Pappus* simplex, sessilis.

T. *Farfara*, scapo unifloro subnudo bracteato, flore radiato, foliis cordatis angulatis dentatis subtus pubescentibus. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 1967. n. 12. BAUMG. Fl. Lips. p. 471. n. 1122. *Icon.* HAYNE. II. 16.

In agris argillosis humidiusculis v. c. prope Connewitz, am Thonberg, in fossis aquosis prope Rückmarsdorf, Markranstaedt etc. Floret Martio, Aprili, foliis praecox.

Offic. Radix, Folia s. Herba et *Flores Farfarae.*

Planta mucilaginis praebet multum cum extracto amaro, speciebus pectoralibus admiscere solent. Folia recentia vulneraria, siccata etiam resolventia. Radix vix amplius colligitur.

T. *Petasites*, scapo thyrsifero, floribus discoideis, pedicellis subsimplicibus. foliis oblongo-cordatis duplicato-dentatis subtus pubescentibus, denturis cartilagineis HAYNE. II. ☿ 17. et ♀ 18. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 1971. n. 19. BAUMG. Fl. Lips. p, 472. n. 1123. et 1124.

☿ thyrso ovato oblongo, flosculis subomnibus hermaphroditis.

♀ thyrso elongato-oblongo, flosculis subomnibus femineis. *Tussilago hybrida*. LINN. BAUMG. 1123.

Ad fossas im Poetengang, prope Eutritsch, Rückmarsdorf, Markranstaedt. Floret Aprili, Maio.

Offic. Radix Petasitidis omnino obsoleta.

Inprimis externe in ulceribns gravioribus adhibuerunt veteres, tamen etiam ob vires sudoriferas et alexiterias in Peste et Podagra laudant. Etiam ad acetum prophylacticum praeparandum in usu fuit.

SENECIO. *Calyx* cylindricus, calyculatus: squamis apice sphacelatis. *Receptaculum* nudum. *Pappus* simplex.

S. *vulgaris*, corollis nudis, foliis amplexicaulibus pinnatifidis dentatis, floribus corymboso-coarctatis LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 1979. n. 20. BAUMG. Fl. Lips. p. 469. n. 1116. *Icon.* Herb. BLACKW. t. 132.

In cultis, ruderatis, agris, muris etc. Floret Aprili — Octbr.

Inter plantes re vera vulnerarias salubres retinendus, ulcera enim, contusiones et vulnera parva herba contusa applicata sanantur.

S. *Jacobaea*, radio patente, foliis lyrato-bipinnatifidis dentatis glabris, caule erecto. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 1997. n. 76. BAUMG. Fl. Lips. p. 470. n. 1120.

In pratis siccioribus, pascuis, ad vias in locis aridis, elatioribus, copiose am Gesundbrunnen, in pratis prope Leutsch, Lindenau, Eutritsch. Floret Jun. Aug.

Offic. Flores et *Herba Jacobeae.* Usus eorum in angina et dysenteria obsolevit.

SOLIDAGO. *Calycis* squamae imbricatae, clausae. *Corollae* radii circiter quinque. *Receptaculum* nudum, punctis exaratum. *Pappus* simplex.

S. *Virgaurea*, caule erecto tereti superne ramoso pubescente, foliis caulinis lanceolatis utrinque, attenuatis serratis, inferioribus ellipticis scabriusculis, racemis erectis, ligulis elongatis WALLR. ann. bot. p. 103. n. 190. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III, p. 2065. n. 35. BAUMG. Fl. Lips. p. 468. n. 1114. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 169.

In pascuis silvaticis siccioribus, in collibus, v. c. am Bieniz, in silva academica. Floret Jul. Aug.

Offic. *Herba Virgae Aureae* s. *Consolidae Saracenicae Veterum.*

In diarrhoea, infarctis, hydrope, ictero et externe in vulneribus et ulceribus adhibuere veteres.

INULA. *Calyx* squarrosus, aut imbricatus. *Corollae* radii numerosae. *Antherae* basi in setas duas desinentes. *Receptaculum* nudum *Pappus* simplex.

I. *dysenterica*, foliis amplexicaulibus cordato-oblongis nudis serratis subtus pilosis, caule pubescente paniculato, ramis lateralibus apice longioribus patulis, calycinis squamis setaceis. Linn. sp. pl. ed. Willd. III. p. 2091. n. 5. Baumg. Fl. Lips. p. 466. n. 1107.

In fossis profundioribus passim, v. c. ad Kundorf, am Bieniz. Floret Jul. Aug.

Offic. *Arnicae Suedensis* s. *spuriae* s. *Conyzae mediae Herba.*

In dysenteria antehac et in haemorrhagiis utilis putabatur, etiam in scabie laudant. Nobis obsoleta.

I. *Pulicaria*, foliis amplexicaulibus oblongis undulatis villosis, caule erecto paniculato, pedunculis unifloris oppositifoliis, floribus subglobosis, radio minutissimo. Linn. sp. pl. ed. Willd. III. p. 2093. n. 8. Baumg. Fl. Lips. p. 466. n. 1108. *Icon.* Blackw. Herb. t. 103. Caule prostrato, quem cel. Persoon. in diagno-

sin recepit, equidem non legi, sed semper erecto. Cf. PERS. Synops. II. p. 450, n. 11.

In inudatis, fossis, ad stagna, vulgaris, v. c. Vogelwiese, hinter dem Brandvorwerk etc. Floret Jul. Aug.

Offic. *Herba Pulicariae* eodem modo ac praecedentis olim usitata nunc obsoleta.

ARNICA. *Calyx* foliolis aequalibus. *Corollae* radiis saepius filamentis quinque absque antheris. *Receptaculum* nudum. *Pappus* simplex.

A. *montana*, foliis ovatis integris: caulinis geminis oppositis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 2016. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 464. n. 395. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 595. SCHKUHR. b. H. t. 248.

Radix perennis, obliqua, fibrosa, nigrescens; caulis teres erectus, simpliciusculus, superne magis hirsutus pauciflorus; pedunculus terminalis solitarius, axillares oppositi uniflori; folia radicalia ovata obtusiuscula nervosa glabra, margine pubescentia, caulina lanceolata opposita hirsuta. Radii squamis calycinis longiores. — In montibus caulis simplex, in pratis depressis ramosus occurrit.

In montosis, collibus, passim legi am heitern Blick in betuleto, frequentius crescit in pratis montosis ad oppidum Grimmam et in montibus Thuringiae. Floret Jul. Aug.

Offic. *Flores*, *Radix* olim et *Herba Arnicae.*

Qualit. Est planta omnium affinium viribus praestantissima. Oleum continet aethereum, resinam acerrimam, substantiam saponaceam, pellucidam, rubicundam, acrimonia abundantem, et mucilaginosam partem. Folia minorem resinosi sed maiorem gummosi extracti, radices plus olei aetherei et praeter resinam et saponaceam substantiam principium coriario simile continent. Odor florum siccatarum nares vellicat aromaticus, sternutatorius.

Vires et usus. Est praestantissimum excitans in malis nervosis, omnibusque fere e torpore et inertia vasorum nervorumque ortis morbis. Praeterea ad morbos pulmonales debellendos, ubi inflammatio absit, aptissimum medicamentum. In amaurosi inchoante vis est probata.

Praeparata. *Pulvis, Extractum.*

Cf. JOH. MICH. FEHR Miscell. Natur. Curios. Dec. I. An. IX et X. Obs. II. p. 27. 1712.

BELLIS. *Calyx* hemisphäricus: squamis aequalibus. *Semina* obovata. *Receptaculum* nudum, conicum. *Pappus* nullus.

B. *perennis*, scapo nudo unifloro, foliis obovatis subtrinerviis HAYNE III. 24. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 2121. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 460. n. 1095. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 200. HAYNE l. c. SCHKUHR t. 251.

In pascuis, campis, pomariis, cultis, apri-

cis ubique vulgatissima. Floret ab Aprili ad Novbr.

Offic. Olim *Herba* et *Flores Bellidis minoris.* Flores plerumque varietas hortensis plena flore sanguineo - purpureo praebuit. Veteres nimis hanc herbam laudibus extulerunt.

Praep. Tinctura Florum Bellidis.

CHRYSANTHEMUM. *Calyx* hemisphaericus, imbricatus: squamis marginalibus membranaceis. *Receptaculum* nudum. *Pappus* nullus.

Ch. *Leucanthemum*, foliis amplexicaulibus lanceolatis serratis, basi inciso-dentatis, caule erecto ramoso. Linn. sp. pl. ed. Willd. III. p. 2142. n. 5. Baumg. Fl. Lips. p. 462. n. 1099. *Icon.* Blackw. Herb. t. 42.

In pratis, agrorum limitibus, agris, copiose, Floret Jun. Jul.

Offic. Bellidis maioris s. *pratensis Herba* et *Flores* veteribus diuretica, vulneraria.

Ch. *montanum*, foliis inferioribus in petiolum longum decurrentibus; spathulatis serratis superioribus lineari-lonceolatis inciso-serratis, amplexicaulibus, caule unifloro. — Linn. sp. pl. ed. Willd. III. p, 2143. n. 6.

Simile Ch. Leucanthemo sed totum hirsutum, planta videtur rara. Legi in silva prope Kleinwetteritsch mense Augusto.

Ch. *inodorum*, receptaculo inani conico v. hemisphaerico, foliis subtripinnatifidis: laciniis

linearibus. HAYNE I. 4. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 2157. n. 17. (*Pyrethrum inodorum.*) — BAUMG. Fl. Lips. p. 462. n. 1100. *Icon.* HAYNE l. c.

In agris, ruderatis. Floret Jul. — Septb.

M. Chamomillae simillimum at facile notis supra indicatis et odoris absentia distinguendum.

PYRETHRUM. *Calyx* hemisphaericus imbricatus, squamis acutiusculis margine scariosis. *Receptaculum* nudum. *Pappus* marginatus.

P. *Parthenium*, foliis pinnatis, pinnis oblongis obtusis pinnatifidis dentatis, summis confluentibus, caule ramoso, floribus corymbosis, radio calyce fere duplo longiore, pappo dentato. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 2155. n. 13. *Matricaria Parthenium* LINN. System. BAUMG. Fl. Lips. p. 461. n. 393.

In pagis ad sepes in ruderatis v. c. Burghausen, Connewitz etc. Floret Jul. Aug.

Offic. Herba et *Flores Matricariae.*

Viribus Matricariae Chamomillae similis at non praestans.

MATRICARIA. *Calyx* planus, imbricatus, squamis margine scariosis. *Receptaculum* nudum, cylindraceo-conicum. *Pappus* nullus.

M. *Chamomilla*, receptaculo cavo conico, foliis subbipinnatifidis; laciniis linearibus. HAYNE I. 3. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 2161. n. 2. BAUMG. Fl. Lips. p. 461. n. 1098. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 298. SCHKUHR. b. H. t. 253. b. HAYNE. l. c.

Radix fibrosa, annua; caulis, saepius plures ex una radice, $\frac{1}{2}$ — 1 pedalis, ramosissimus, obsolete sulcatus, medius aut solitarius erectus, reliqui adscendentes; rami alterni ramosi; folia sessilia, alterna, subcarnosa; inferiora bipinnatifida, superiora pinnatifida; laciniae lineares, subcarinatae; Flores compositi disco flavo, radiis albis; pedunculi terminales subsimplices; perianthium hemisphericum, squamis linearibus subimbricatis.

Planta arvensis in Flora nostra vulgatissima, in Thuringia non obvia.

Offic, *Flores Chamomillae vulgaris* s. *nostratis*, interdum et *Herba.*

Qualit. Graveolens, fragrans, sapore amaro oleoso. Multum continet olei unguinosi et aetherei cum extracto amaro.

Vires. Notissimum est stimulans, diaphoreticum, diureticum, carminativum sed etiam antifebrilis vis recenti tempore inventa est.

Usus. *Pulvere* utimur in febribus intermittentibus, spasmis, obstructionibus; *infuso* quod vulgatissima est forma in colicis affectionibus, ad ventriculum stimulandum et corroborandum, flatusque pellendos. *Oleo aethereo* insignis inest vis antihysterica, antihypochondriaca; *extractum* in dysenteria, diarrhoea, morbo haemorrhoidali laudibus floret. Usus externus florum ad tumores discutiendos, maturandos, ad rheumaticos dolores obtundendos, nec non ad

cataplasmata emollientia cum ejusdem emollientis indolis aliis remediis v. c. avena excorticata cocta commixti, ad clysmata, balnea, pediluvia notissimus.

ANTHEMIS. *Calyx* hemisphaericus, subaequalis. *Flosculi* radii plures quam quinque. *Receptaculum* paleaceum: paleis planis, apice acuminatis rigidis. *Pappus* nullus s. margo membranaceus.

A. *arvensis*, receptaculo inani conico, paleis cymbiformibus, foliis subpinnatifidis pubescentibus: laciniis lanceolatis. HAYNE. I. 5. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 2180. n. 16. BAUMG. Fl. Lips. p. 477. n. 1138. *Icon.* HAYNE. I. 5.

In agris inter segeter et in locis incultis. Floret Jun. Aug.

Non quidem officinali usui inserviens attamen ob magnam cum M. Chamomilla similitudinem notanda.

A. *Cotula*, receptaculo inani conico, paleis setaceis, foliis subtripinnatifidis glabris: laciniis lanceolatis HAYNE. I. 6. LINN. sp. pl. ed, WILLD. III. p. 2181. n. 18. BAUMG. Fl. Lips. p. 477. n. 1039. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 67. HAYNE. I. t. 6. SCHKUHR. b. H. t. 254.

Passim in agris, rarius in Flora nostra v. c. vor dem Hinterthore, copiosam hanc vidi ad lacum salsum in Mansfeldia, forte *Pyrethrum maritimum* quod *Ruppius* ibi invenit.

Offic. *Cotulae foetidae Herbam* et

Flores antepileptica, anthysterica, anthydropica habuere veteres.

A. *nobilis*, LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 2180. n. 15. praebet *Flores chamomillae Romanae* quibus vis eadem ac M. chamomillae sed maiori gradu inest.

ACHILLEA. *Calyx* ovatus, imbricatus. *Flosculi* radii circiter quatuor, dilatati. *Receptaculum* paleaceum. *Pappus* nullus.

A. *Millefolium*, foliis bipinnatis glabriusculis, pinnarum laciniis linearibus dentatis LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 2208. n. 36. BAUMG. Fl. Lips. p. 479. n. 1142. *Icon.* BLACKW. Herb. tab. 18.

Var. β. flore puniceo.

Ad vias, agrorum versuras limitesque minime rara, β. passim v. c. prope Probsthaide, Maisdorf.

Offic. Herba, Flores s. Summitates Millefolii.

Simillimae ac M. chamomilla indolis herba saluberrima, graveolens est, spirans oleum aethereum, sapore praedita amaro, aromatico, paulum adstringente. Continet oleum aethereum in omnibus partibus, extractum spirituosum in floribus, aquosum in foliis caulibusque.

Vires habet abdominis vasa insigni stimulo ad functiones accelerandas urgendi, flatus pellendi, digestionem restituendi; pectori non minus iuvat. Utimur ea saepissime in abdomina-

li atonia ubi fortius adstringentibus uti nocivum sit, summis laudibus in passivae indolis haemorrhagiis dignissima. In hysterico hypochondriacoque malo *Extractum* et *Oleum* utilissima, quae etiam in pectoralibus morbis, ubi inprimis ex abdominali atonia orti sint, multum valent. Vis narcotica a veteribus Herbae adscripta vix inest, at vulneraria haud contemnenda.

A. *nobilis*, foliis caulinis bipinnatifidis, laciniis linearibus subdentatis, rachi alata dentata, radicalibus triplicato-pinnatifidis, corymbo composito fastigiato. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 2211. n. 42. BAUMG. Fl. Lips. p. 479. n. 1143.

In locis a BAUMGARTENIO indicatis a me certe nondum, in Thuringiae vero muris pagorum oppidorumque saepius lecta vi superat nostratem.

A. *Ptarmica*, foliis linearibus acuminatis aequaliter argute serratis glabris. LINN. sp. pl. ed. WILLD. III. p. 2191. n. 3. BAUMG. Fl. Lips. p. 478. n. 1141. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 276.

In pratis silvaticis, locis humidiusculis v. c. am Gesundbrunnen, prope Leutsch et Lindenau. Floret Jun. Aug.

Offic. Flores, Herba et *Radix Ptarmicae* olim inter errhina, sternutatoria, vulneraria, sialagoga laudabantur.

FRUSTRANEA.

CENTAUREA. *Calyx* varius. Corollae radii infundibuliformes, longiores, irregulares. *Receptaculum* setosum. *Pappus* simplex, varius.

C. *Cyanus*, calycibus serratis, foliis linearibus sessilibus integerrimis, infimis basi pinnatifidis. Linn. sp. pl. ed. Willd. III. p. 2291. n. 35. Baumg. Fl. Lips. p. 482. n. 1148. *Icon.* Blackw. Herb. t. 270.

Inter segetes vulgatissima, Floret Jun. — Aug, interdum usque ad Octobr.

Offic. Cyani Flores nonnisi ob suavum colorem cyaneum ad tingendas species fumales, morsulas etc, colliguntur, Herba edulis.

C. *Calcitrapa*, calycibus subduplicato-spinosis sessilibus, foliis pinnatifidis linearibus dentatis, caule piloso. Linn. sp. pl. ed. Willd. III. p. 2317. n. 93. Baumg. Fl. Lips. p. 484. p. 1153.

Hoc tempore rarior prope Lindenthal. Floret Jun. — Septbr.

Offic, Calcitrapae Radix antea inter antifebrilia et lithontriptica laudabatur.

NECESSARIA.

Calendula officinalis. Linn. sp. pl. ed. Willd. III. p. 2340. n. 4. apud nos nonnisi quasi sponte crescit in hortis, in Europa australi sponte in agris. *Calendulae Herba, Flores, Conserva, Aqua, Acetum, Se-*

mina, quum singula nil agant merito iureque absoleta.

GYNANDRIA.

Obs. Orchidearum familia naturalis hisce distinguitur notis: Calyx irregularis, superus, coloratus, tetra-heptaphyllus, foliola duo -quatuor petaloidea. Nectarium s. labellum stylo insertum, saepius calcaratum. Genitalia in columnam connata. Filamentum, distinctum nullum. Anthera una stylo adnata, aut postica v. terminalis. Stylus crassus teres s. angulatus. Stigma convexum aut concavum maiusculum, stylo insidens. Capsula unilocularis costata s. angulato-striata, trivalvis, sub angulis dehiscens. Semina plurima, minutissima. — Radix in plurimis bituberosa aut palmata ex amylo constans. Caulis simplex vaginatus. Folia simplicia vaginantia.

MONANDRIA.

ORCHIS. *Calyx* ringens, foliolo superiore fornicato *Labellum* dilatatum, basi subtus longe calcaratum. *Anthera* terminalis, adnata.

* Bulbis testiculatis.

O. *Morio*, labello lato trilobo, medio emarginato, lateribus crenulatis reflexis, calcare apice bifido adſcendente, foliolis calycinis ovalibus obtusis conniventibus. Pers. Synops. II. p. 503. n. 26. Linn. sp. pl. ed. Willd. IV. p. 18. n. 24

BAUMG. Fl. Lips. p. 16. n. 41. *Icon.* SCHRUHR. b. H. t. 271.

In pratis siccis, locis aridis elatioribus v. c. am Bienitz etc. Floret Maio.

O. *Mascula,* labello trifido crenulato, intermedio longiore bilobo, calcare subrecurvo obtuso, foliolis calycinis lateralibus exterioribus subfalcatis acutis reflexis PERS. Synops. II. p. 504. n. 29. LINN. sp. pl. ed. WILLD. IV. p. 18. n. 25. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 53.

In pratis silvaticis passim am Bieniz, prope Schönfeld. Floret Jun. Jul.

O. *militaris*, labello trifido punctis scabro, laciniis linearibus, media biloba lata productiore denticulo interjecto, foliolis calycinis confluentibus impunctatis. PERS. synops. II. p. 504. n. 34. LINN. sp. pl. ed. WILLD. IV. p. 22. n. 23. BAUMG. Fl. Lips. p. 17. n. 43.

In pratis humidiusculis v. c. in silva academica, am Bieniz prope Kleindölzig. Floret Jun. Julio.

Offic. *Radices Salep, Saleb* s. *Salap* sunt harum Orchidearum bulbi apud nos et per Europam fere totam crescentium. Colliguntur raro in Europa, sed ex Oriente grandiores ab soli illius macietatem in fila alligatae, siccatae nobis adducuntur. Bulbi sunt ovales, siccati fructus Avellanae magnitudine, glabri, subpellucidi. Cocti in pulmentum abeunt, quod

pthisicis vel aliis aegrotis quibus nutritione efficaciori opus est porrigere solemus. Etiam *Pulvis* cum gummate arabico et saccharo contritus in tussi ordinatur interdum.

O. *bifolia*, labello lineari integerrimo obtuso, cornu germine duplo longiore, foliis caulinis vaginantibus brevissimis, radicalibus binis oblongis basi attenuatis Linn. sp. pl. ed. Willd. IV. p. 10. n. 6. Baumg. Fl. Lips. p. 17. n. 44. Flos albido-virescens. *Icon.* Schkuhr b. H. t. 271.

In pratis silvaticis vulgaris v. c. prope Leutsch, am Bieniz, in silva academica etc, Floret Maio, Jun.

Offic. Huius bulbi eiusdem cuius descripti indolis ac formae nomine *Radicis Satyrii* in officinis prostant, verum tamen nonnunquam et bulbos divisos s. palmatos O. *maculatae* et *latifoliae* hoc nomine asservatas inveni.

O. *coriophora*, labello trilobo, medio angustiore longiore, lateribus reflexis denticulatis, calcare brevi, foliolo calycino conniventibus. Pers. Synops. II. p. 503. n. 23. Linn. sp. pl. ed. Willd. IV. p. 16. n. 21.

Nonnisi varietas minor apud nos occurrit, specimina ex Europa australi multo maiora. Flores odore cimicino foetidi.

In pratis am Bieniz. Floret Jun. Jul.

O. *palustris*, labello trilobo lato basi unidentato, lobis lateralibus rotundatis, integris, medio bifido, subrecurvo, foliolis calycinis lateralibus

exterioribus oblongis divaricato-patulis, foliis sublinearibus. PERS. Synops. II. p. 504. n. 30. LINN. sp. pl. ed. WILLD. IV. p 26.

In prato magno humidiusculo in silva academica ad fossam. Floret Junio.

** Bulbis palmatis.

O. *latifolia*, labello trilobo, lateribus reflexo, conico, calcare foliolis calcynis exterioribus lateralibus patentibus, bracteis flore longioribus, caule fistuloso apice polygono, radicibus rectis. PERS. synops. II. p. 505. n. 51. LINN. sp. pl. ed. WILLD. IV, p. 28. n. 46. BAUMG. Fl. Lips. p. 16. n. 39. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 405.

Var. *β.* Foliis cauleque nigro-maculatis.

γ. *Angustifolia*, foliis lineari-lanceolatis, spica conferta, labello subcuneato, lobulo intermedio absoleto, bulbo bipartito divaricato. LOISEL. PERS. Synops. *lalifolia β.*

Est species nobis vulgatissima in pratis paludosis, humidiusculis, *β.* prope Schönfeld non rara, in siccioribus.

O *maculata*, labello trilobo plano crenulato, medio minore acuto integro, calcare germine breviore recto, foliolis calycinis erectis divaricatis, radicalibus patentibus. PERS. Synops. II. p. 505. n. 54. LINN. sp. pl. ed. WILLD. IV. p. 31. n. 51. BAUMG. Fl. Lips. p. 15. n. 38. Flores albido-incarnati, nigro maculati, caulis cubitalis, solidus.

In silvaticis passim. In silva academica. Floret Jul. Aug.

Offic. Radix Palmatae.

O. *conopsea*, labello trifido subaequali subintegro, calcare setaceo germine longiore, foliolis calycinis lateralibus exterioribus patentissimis, spica cylindracea, floribus sparsis. PERS. Synops. II. p. 505. n. 55. LINN. sp. pl. ed. WILLD. IV. p. 32. n, 53. BAUMG. Fl. Lips. p. 18. n. 45.

Iu pratis silvaticis, collibus v. c. in silva academica, am Bieniz. Floret Mai. Jun.

O. *odoratissima*, labello trilobo integro, medio latiore, acutiore, calcare recurvo brevi, foliis linearibus. PERS. Synops. II. p. 505. n. 57. LINN. sp. pl. ed. WILLD. IV. p. 32. n. 52. Odore suavissimo violario praedita, praecedenti similis at minor.

In pratis siccioribus prope Kleindölzig, ante me legit amic. KUNZE. Floret jun. Jul.

O. *sambucina*, labello serrulato subrotundo subtrilobo, medio emarginato, calcare conico, foliolis calycinis exterioribus lateribus reflexis, bracteis longitudine florum. PERS. Synops. II. p. 505. n. 53. LINN. sp. pl. ed. WILLD. IV. p. 30. n. 50. BAUMG. Fl. Lips. p. 14. n. 37. Flores flavi, labello lato, odore sambuci. *Icon.* BAUMG. l. c. tab. II.

In montosis, a me quidem in Flora nostra nondum lecta. BAUMGARTENIUS eam am Bieniz

et prope Kriphaene se legisse affirmat. In Thuringiae montosis v. c. prope Naumburg crescunt cum hac et aliae elegantissimae huius generis species, v. c. O *pallens* WILLD. p. 27. n. 42. O. *variegata* p. 21. n. 31. O *fusca* p. 23. n. 34. et plures ex aliis Orchidearum generibus pulcherrimae plantae.

EPIPACTIS. *Calyx* erecto-patens. *Labellum* ecalcaratum, planum, pendulum, apice bifidum.

E. *ovata*, caule bifolio, foliis ovatis, labello lineari. PERS. Synops II. p. 513 n. 2. LINN. sp. pl. ed. WILLD. IV. p. 87. n. 10. *Ophrys ovata*, BAUMG. Fl. Lips. p. 19. n. 48.

In pratis silvaticis, pomariis, v. c. prope Lindenau, am Bieniz, in silva academica, prope Connewitz, hinter dem Brandvorwerk. Floret Mai. Jun.

Offic. Herba Bifolii olim in medicina usitata.

HEXANDRIA.

ARISTOLOCHIA. *Calyx* nullus. *Corolla* monopetala, ligulata, basi ventricosa. *Capsula* sexlocularis, polysperma, infera.

A. *Clematitis*, foliis subrotundo-cordatis obtusiusculis petiolatis, caule erecto, pedunculis unifloris, aggregatis, corollis erectis, labio oblongo. LINN. sp. pl. ed. WILLD. IV p. 163. n. 37. BAUMG. Fl. Lips. p. 203. n. 526. *Icon.* SCHKUHR. b. II. t. 276.

In hortis nonnunquam quasi, in vineis vero in Thuringia et prope Roegiltz re vera sponte crescit. Planta sapore amarissimo, acri praedita, antea etiam interne exhibebatur, nunc nonnisi ad ulcera inveterata sananda a rusticis quaeritur. *Radix Aristolochiae vulgaris* interdum desideratur.

MONOECIA.

TRIANDRIA.

CAREX. *Amentum* imbricatum.

Mas. *Calyx* squama solitaria. *Corolla* nulla.

Femina. *Calyx* squama solitaria. *Corolla* ventricosa, monopetala, apice bidentata. *Stigmata* 2 — 3. *Nux* tripuetra, corolla persistente inclusa.

* spicis androgynis sessilibus alternis.

C. *intermedia*, spica androgyna composita, spiculis alternis confertis inferioribus remotiusculis, superioribus et inferioribus femineis, intermediis masculis, stigmatibus binis, fructibus ovatis marginatis bifidis ciliato-serratis, culmo

erecto. W. — LINN. sp. pl. ed. WILLD. IV. p. 224. n. 35. *Icon.* SCHKUHR. Caric. tab. B. fig. 7.

In pratis paludosis copiose, v. c. prope Schoenfeld. Floret Maio, Jun.

Huc referenda est *C. arenaria.* BAUMG. Fl. Lips. p. 69. n. 198. huic simillima, quae vero in Flora nostra non crescit, nec, uti iam Cel. SCHWAEGRICHEN Topogr. II. p. 16. probat, crescere potest; habitat enim in arena mobili, radicibus late circumrepens, et nuper extra fines Florae nostrae in Mansfeldia vidi ad lacum salsum Florae Halensis civem.

In officinis etiam radicem *C. intermediae* haud raro loco illius *C. arenariae* vel saltem huic immixtam reperi. Differt *C. arenaria* spica androgyna composita, spiculis alternis confertis, superioribus masculis, inferioribus feminis, intermediis apice masculis, stigmatibus binis, capsulis ovatis marginatis, bifidis ciliato-serratis, culmo incurvo. WILLD. *Icon.* SCHK. Caric. t. B. D. d. fig. 6.

TETRANDRIA.

ALNUS. *Mas.* *Amentum* receptaculis cuneiformibus truncatis trifloris compositum. *Calyx* squama. *Corolla* quadripartita.

Femina. *Amentum.* *Calyx* squamae biflorae. *Corolla* nulla. *Semina* compressa ovata nuda.

A. *glutinosa*, foliis subrotundo-cuneatis obtusis subretusis glutinosis, axillis venarum subtus

villosis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. IV. p. 334. n. 1. *Betula Alnus.* LINN. Syst. BAUMG. Fl. Lips. p. 101. n. 285.

In humidis, nemoribus, ad fossas, paludes ubique. Floret Mart. Aprili.

Offic. Olim *Cortex* et *Folia Alni.*

Lactis secretionem augere dicuntur folia infusa; externe in saccum linteum congesta aegrotorum pedibus applicantur, ad horum sudores soppressos restituendos.

URTICA. *Mas.* *Calyx* tetraphyllus. *Corolla* nulla. *Nectarium* centrale, cyathiforme.

Femina. *Calyx* bivalvis. *Corolla* nulla. *Semen* unum nitidum.

U. *urens*, foliis oppositis ellipticis subquinquenerviis argute serratis, spicis glomeratis geminatis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. IV. p. 352. n. 16. BAUMG. Fl. Lips. p. 99. n. 282.

Ad vias et sepes, in ruderatis. Floret Jun. Jul.

Offic. *Herba Urticae minoris.*

U. *dioica*, foliis oppositis cordatis ovato-lanceolatis grosse serratis, floribus dioicis, spicis paniculatis glomeratis geminatis petiolo longioribus. LINN. sp. pl. ed. WILLD. IV. p. 352. n. 17. BAUMG. Fl. Lips. p. 100 n. 283.

Ad dumeta, sepes, in cultis, ruderatis inprimis vero in silvis. Floret Jul. Aug.

Offic. *Herba, Radix* et *Semen Urticae maioris.*

Utriusque speciei herbae recentis externus ad urticationem usus haud ignotus est. Interne a veteribus herbae siccatae infusum, ubi diuresin aut diaphoresin excitare voluerunt, exhibitum esse narratur.

PARIETARIA. Flores polygami.

Hermaphrod. Calyx quadrifidus. *Corolla* nulla, *Stamina* elastica. *Stylus* unus, *Semen* unum, superum.

Femina. Calyx diphyllus. *Semen* calyci sicco elongata tecto.

P. *officinalis*, foliis oblongo-avatis utrinque acuminatis pellucido punctatis, pedunculis dichotomis, calycibus diphyllis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. IV. p. 953, BAUMG. Fl. Lips. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 156.

Ad muros, sepes v. c. in pago Lindenau, ad meatum angustiorem quo a stagno ad dextram patet aditus ad pagum. In locis a BAUMGARTENIO indicatis evanuit.

Offic. Herba Parietariae s. *Helxines.*

Olim etiam haec inter emollientia, obtundentia diuretica, recepta, in Hydrope, calculo, tabe, tussi, stranguria adhibebatur.

PENTANDRIA.

XANTHIUM. *Mas. Calyx* communis imbricatus. *Corollae* monopetala, quinquefida, infundibuliformis. *Receptaculum* paleaceum.

Femina. *Calyx* involucrum diphyllum, uniflorum. *Corolla* nulla. *Drupa* sicca, muricata, bifida. *Nux* bilocularis.

X. *Strumarium*, caule inermi, foliis cordatis trinervatis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. IV. p. 373. n. 1. *Icon.* SCHKUHR. b. II. t. 291.

Passim in ruderatis, v. c. in der Sandgrube. Floret Jul. Jul.

Offic. *Herba* et *Semen Xanthii* s. *Bardanae minoris* adstringentibus olim adnumerata.

POLYANDRIA.

POTERIUM, *Mas.* *Calyx* tetraphyllus. *Corolla* quadripartita. *Stamina* 30—50.

Femina. *Calyx* tetraphyllus. *Corolla* quadripartita *Pistilla* duo. *Bacca* e tubo corollae indurato.

P. *Sanguisorba*, inerme, caulibus subangulosis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. IV. p. 421. n. 1.

In locis a Baumgartenio indicatis nunc non legitur et ibi unquam adfuisse miror, crescit enim in montibus calcareis, v. c. prope Leucopetram, et per omnem Thuringiam. Floret Julio. Aug. Colitur etiam in hortis ad usum culinarem.

Offic. *Herba* et *Semen Pimpinellae Italicae*, ob vim adstringentem olim in haemoptysi, dysenteria laudata, eorumque inprimis infusum vinosum tempore verno bibendum

commendatur. *Radix* eiusdem nominis ad *Sanguisorbam officinalem* Class. IV. Ord. I. pertinet.

Juglans regia, LINN. sp. pl. ed. WILLD. IV. p. 455. n. 1. Persiae indigena colitur apud nos. Putamen nucis Juglandis inprimis ad Extractum parandum etiam hoc tempore officinale. Olim et Nuces, Dissepimenta, Cortex viridis, Oleum et Roob prostabant.

QUERCUS. *Mas.* *Calyx* quinquefidus fere. *Corolla* nulla. Stamina quinque — decem.

Femina. *Calyx* monophyllus, integerrimus scaber. *Corolla* nulla. *Styli* duo - quinque. *Nux* coriacea calyce persistente basi cincta.

Q. *Robur*, foliis oblongis petiolatis glabris sinuatis, lobis rotundatis, fructibus oblongis sessilibus. LINN. sp. pl. ed. WILLD. IV. p. 450. n. 64. BAUMG. Fl. Lips. p. 306. n. 761.

In silvis arbor primaria. Floret Maio.

Q. *pedunculata*, foliis oblongis subsessilibus glabris sinuatis, lobis rotundatis, fructibus oblongis pedunculatis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. IV. p. 450. n. 65. *Quercus femina.* BAUMG. Fl. Lips. p. 306. n. 762 *Icon.* BLACKW. Herb. t. 487.

In silvis cum praecedenti specie. Floret Aprili, Maio.

Offic. Utraque, sed haec plerumque species officinis olim praebuit *Folia*, *Glandes*, *Cupulas* et *Corticem Quercus*. Hodie Glandes et Cortex in usu sunt. Cortex ramorum

stirpiumque iuniorum vi eximia adstringente praeditus est; eius decoctum ad atonica ulcera inveterata sananda, laxitatem partium removendam aptissimum. Glandes quercuum nostrarum bene maturatae, siccatae austero sapore, succo inhaerente, expertes ad panem conficiendum cum farina commixtae in Suecia certe, annonae caritate impenduntur. Tostarum decoctum notum est remedium in tractus intestinorum laxitate ac inertia mesenterii glandularum, itaque utimur eo in scrophulis, atrophia et rachitide infantum. Cf. Schroeter von den Wirkungen der Eicheln. Götting. 1774.

BETULA. *Mas. Amentum* imbricatum, squamis peltatis trifloris. *Calyx* squama. *Corolla* nulla. *Stamina* decem — duodecim.

Femina. Amentum imbricatum. *Calyx* squama biflora. *Corolla* nulla. *Semen* unum alatum.

B. *alba*, foliis deltoidibus acutis duplicato-serratis glabris, strobilorum squamis lobis lateralibus rotundatis, petiolis glabris pedunculo longioribus. Linn. sp. pl. ed. Willd. IV. p. 462. n. 1. Baumg. Fl. Lips. p. 100. n. 284. *Icon.* Schkuhr b. II. t. 288.

Var. β. *pendula*, foliis ovato-acuminatis inciso-serratis glabris, ramis flaccidis pendulis. Roth.

Arbor in silvis copiosa v. c. am heitern

Blick. in silva academica, prope Machern etc. Floret Aprili. Maio.

Offic. *Folia*, *Epidermis*, *Cortex*, *Succus* s. *Aqua* s. *Lympha Betulae*. Praep. *Oleum Rusci*.

E stirpibus verno tempore ante foliorum explicationem, ubi foramini terebratione facto, tubulus e penna anserina confectus immitatur, sat magna copia effluit succi dulcis, incolis montium potus iucundus, leniter purgans. Reliquae partes ad medicinalem usum hoc tempore vix colliguntur.

CORYLUS. *Mas.* Amentum imbricatum. *Calyx* squama, *Corolla* nulla. *Stamina* octo.

Femina. *Calyx* quinquepartitus, lacerus. *Corolla* nulla. *Styli* duo. *Nux* ovata, calyce persistenti cincta.

C. *Avellana*, stipulis oblongis obtusis, calycibus fructus campanulatis apice patulis lacerodentatis, foliis subrotundis cordatis acuminatis LINN. sp. pl. ed. WILLD. IV. p. 420. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 308. n. 764. *Icon.* SCHKUHR b. H. t. 305.

In silvis nostris fere omnibus. Floret Martio.

Offic. Olim *Lignum* et *Nuces Avellanae* et *Sulphur Corylinum* (pollen).

ARUM. *Spatha* monophylla, cucullata. *Spadix* supra nudus, inferne femineus, medio stami-

neus. Infra glandulae cirrhosae. *Bacca* utplurimum monosperma.

A. *maculatum*, acaule, foliis hastato-sagittatis, lobis deflexis, spadice clavato spatha breviore. LINN. sp. pl. ed. WILLD. IV. p. 483. n. 17. BAUMG. Fl. Lips. p. 302. n. 753. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 228.

In silvaticis umbrosis v. c. im Rosenthale passim. Floret Maio.

Offic. *Radix Ari* s. *Aronis* olim et *Foeculi Aronis.* Constat radix ex amylo, nonnisi recens acris principii copia quadam impraegnato. Olim in morbis pituitosis laudata est, hodie vix adhibetur.

MONADELPHIA.

PINUS. *Mas.* *Calyx* tetraphyllus. *Corolla* nulla. *Stamina* plurima. *Antherae* nudae.

Femina. *Calyx* strobili: squama biflora. *Corolla* nulla. Pistillum unum. *Nux* ala membranacea excepta.

P. *silvestris*, foliis geminis rigidis, canis ovato-conicis longitudine foliorum subgeminis basi rotundatis. LINN, sp. pl. ed. WILLD. IV. p. 494. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 373. n. 923. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 190.

In silvis v. c. in academica, am Bienitz, prope Lindenthal, Zschocher etc. Floret Maio.

Offic. *Resina*, *Lignum* et *Turiones Pini.*

Praeparantur ex pinorum hac et aliis speciebus: *Terebintina communis, cocta, Oleum terebintinae, pix, calophonium, pix liquida.*

Cucumis sativus LINN. sp. pl. ed. WILLD. IV. p. 615. n. 13. colitur apud nos frequens in hortis. *Semina Cucumeris* olim officinalia cum illis C. *Melonis* p. 613. n. 8. *Cucurbitae Peponis* p. 609. n. 8. et C. *Citrulli* p. 610. n. 12. dicebantur *Semina* IV. *frigida maiora.*

BRYONIA. *Mas*, *Calyx* quinquedentatus. *Corolla* quinquepartita. *Filamenta* tria.

Femina. *Calyx* quinquedentatus. *Corolla* quinquepartita. *Stylus* trifidus. *Bacca* subglobosa, polysperma.

B. *alba*, foliis cordatis quinquelobis dentatis calloso-punctatis scabris, floribus racemosis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. IV. p. 621. n. 19. BAUMG. Fl. Lips. p. 497. n. 1182. Flores monoici baccae nigrae. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 533.

In dumetis, ad sepes etiam in ambulacro, et horto Bosiano, frutices arboresque scandens. Floret Maio, Jun.

Offic. *Radix*, *Baccae*, *Semina Bryoniae.*

Radix amyli et acris principii multum continet, alba, fusiformis, carnosa, saepe in diametro sex pollicaris, inferne subfibrosa. Sapor est acerrimus, amarus, nauseosus. Vis ei ad-

scribebatur purgans, anthelmintica, emmenagoga; laudatur in hydrope, mania, epilepsia, rheumatismo, ganglio, sugillatione. Praeparatur exinde *Extractum*, *Faeculae* et *Cataplasma resolvens*. Novissimo tempore Hahnemanno auctore inter prophylactica in epidemiis nervosis praedicata.

B. *dioica*, foliis cordatis palmatis quinquelobis dentatis calloso-punctatis, floribus racemosis dioicis. Linn. sp. pl. ed. Willd. IV. p. 621. n. 20. *Icon.* Blackw. Herb. t. 37. Praecedenti similis, flores autem dioici, baccae rubrae.

In iisdem cum praecedente locis, rarius. Floret Jun. Jul.

Radix eiusdem fere ac illius indolis.

DIOECIA.

DIANDRIA.

SALIX. *Mas.* *Amentum* cylindraceum. *Calyx* squama. *Corolla* nulla. *Glandula* baseos nectarifera.

Femina. *Amentum* cylindraceum. *Calyx* squama. *Corolla* nulla. *Stylus* bifidus. *Capsula* unilocularis, bivalvis. *Semina* papposa.

S. *pentandra*, foliis ellipticis acuminatis serratis glabris, petiolis superne glandulosis, amentis serotinis pentandris, germinibus lanceolatis glabris. LINN. sp. pl. ed. WILLD. IV. p. 658. n. 11. *Icon.* SCHKUHR. b. H. t. 317. b. n. 8.

Ad fluviorum ripas, in salicetis, Vogelwiese, prope Schleusig etc. Floret Aprili, Maio, et saepius iterum Julio et Augusto, Staminum numero variat.

Offic. Cortex Salicis Laureolae.

S. *fragilis*, foliis lanceolatis acuminatis concoloribus glabris glanduloso-serratis, amentis coaetaneis, nectario masculorum gemino, germinibus subsessilibus lanceolatis glabris. LINN. sp. pl. ed. WILLD. IV. p. 669. n. 31.

Arbor procera, nobis vulgatissima, ubique ad ripas, in pagorum salicetis. Floret Aprili.

Offic. Cortex Salicis fragilis.

S. *Helix*, monandra erecta, foliis lanceolatis acuminatis serrulatis glabris, stylo elongato filiformi, stigmatibus linearibus. LINN. sp. pl. ed. WILND. IV. p. 672. n. 57. BAUMG. Fl. Lips. p. 24. n. 65.

In pratis paludosis, ad vias, rarius v. c. ad Barneck. Floret Aprili.

Offic. Cortex Salicis Helicis.

S. *alba*, foliis lanceolatis acuminatis serratis utrinque sericeis, serraturis infimis glandulosis, stigmatibus bifidis. LINN. sp. pl. ed. WILLD IV. p. 710. n. 116.

Ad ripas, vias passim. Arbor cum S. *fragili* inter Salicum species maxima, in Flora nostra rarior.

Offic. *Cortex Salicis albae.*

Harum imprimis specierum cortex in officinis consumitur. Haud raro promiscue ab his aliisque Salicum speciebus cortex delibratur. Optimus est quem ex arborum, triennium stirpibus et ramis eiusdem aetatis accipiunt. Vires insunt adstringentes, febrifugae, ad internum pariter atque externum usum impenditur, cortice Peruviano similis tamen inferior. S. pentandrae s. Laureolae cortex reliquis antecellit. Cf. STONE in Philosophic. Transact. Vol. LIII. p. 195. 1763.

TETRANDRIA.

VISCUM. *Mas.* *Calyx* quadripartitus. *Corolla* nulla. *Filamenta* nulla. *Antherae* calyci adnatae.

Femina. *Calyx* tatraphyllus, superus. *Stylus* nullus. Corolla nulla. *Bacca* monosperma. *Semen* cordatum.

V. *album*, foliis lanceolatis obtusis enerviis, caule dichotomo, floribus quinis terminalibus glomeratis sessilibus. LINN. sp. pl. ed. WILLD. IV. p. 737. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 101. n. 286 *Icon.* BLACKW. Herb. t. 184. SCHKUHR. b. H. t. 320. HAYNE IV. 24.

In arboribus parasitica, sempervirens, in Quercu, Pyro silvestri et Salice inprimis. apud nos rarius occurrit. Floret Martio.

Offic. *Viscus Quercinus* s. *quernus.* *Lignum* s. *stipites Visci querni.*

Ubi recens sit remedium antepilepticum est omnino commendandum, in epilepsia quidem nondum inveterata nec ab organicis vitiis orta, in qua iam ex antiquissimo tempore magnopere laudatus, etiam in hysterico malo laudibus non eget.

PENTANDRIA.

CANNABIS. *Mas.* *Calyx* quinquepartitus. *Corolla* nulla.

Femina. *Calyx* monophyllus, integer, latere hians. *Corolla* nulla. *Styli* duo. *Nux* bivalvis, intra calycem clausum.

C. *sativa*, foliis digitatis. LINN, sp. pl. ed. WILLD. IV. p. 763. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 173. n. 161. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 322. a ♀. b. ♂. SCHKUHR. b. H. t. 325.

Nonnisi quasi sponte apud non crescit in ruderatis, cultis; colitur passim in agris; sponte crescit in Persia. Floret Julio.

Offic. *Semina Cannabis* ad emulsiones aptissima, herba vi narcotica praedita succum opio non dissimilem praebet.

HUMULUS. *Mas.* *Calyx* pentaphyllus. *Corolla* nulla.

Femina. *Calyx* monophyllus, oblique patens, integer. *Corolla* nulla. *Styli* duo. *Semen* unum, intra calycem foliatum.

H. *Lupulus*, LINN. sp. pl. ed. WILLD. IV. p. 769. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 173. n. 453. *Icon.* SCHKUHR. b. H. t. 326.

Caulis volubilis aut scandens scaber, folia petiolata, serrata, scabra, cordata aut tri-quinqueloba.

In fruticetis ad sepes, ripas sponte, in hortis agrisque colitur. Floret Jul. Aug.

Offic. Olim *Coni* s. *Strobili* s. *Flores*, *Turiones* et *Radix Lupuli.*

OCTANDRIA.

POPULUS. *Mas.* *Amentum* cylindraceum. *Calyx* squama lacera. *Corolla* turbinata, obliqua, integra.

Femina. *Amentum* cylindraceum. *Calyx* et *Corolla* maris. *Stigma* quadrfidum. *Capsula* bilocularis. *Semina* multa, papposa.

P. *nigra*, foliis utrinque glabris acuminatis serratis deltoidibus diametro longitudinali longiore. LINN. sp. pl. ed. WILLD. IV. p. 804. n. 7. BAUMG. Fl. Lips. p. 221. n. 562. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 248. SCHKUHR. b. H. t. 330. a.

Ad ripas fluviorum, stagnorum, in pagis, ad vias. Floret Martio, Aprili.

Offic. *Oculi* s. *Gemmae Populi.*

Balsamus e gemmis effluit ad *Unguentum populeum* usitatus.

ENNEANDRIA.

MERCURIALIS. *Mas. Calyx* tripartitus. *Corolla* nulla. *Stamina* novem s. duodecim. *Antherae* globosae, didymae.

Femina. Calyx tripartitus. *Corolla* nulla. *Styli* duo. *Capsula* dicocca, bilocularis, monosperma.

M. *perennis*, caule simplicissimo, foliis scabris. LINN. sp. pl. ed. WILLD. IV. p. 809. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 223. n. 565.

In locis montosis silvaticis umbrosis, am Bienitz. Floret Maio, Jun.

Planta venenata, emetica, drastica.

M. *annua*, caule herbaceo brachiato, foliis oblongis glabris, floribus masculis spicatis. LINN. sp. pl ed. WILLD. IV. p. 810. n. 3. BAUMG. Fl. Lips. p. 224. n. 566. *Icon.* BLACKW. Herb. t 162. SCHKUHR. b. H. t. 332.

In agris, cultis, ruderatis passim. v. c. in horto Bosiano, prope Sellerhausen, Stüntz etc. Floret Junio — Aug.

Offic. Olim *Herba* et *Semen Mercurialis.*

Inter eccoprotica, cosmetica, emollientia, subvenenata a veteribus relata. Venena expers videtur. Praeparaverunt e herba *Enemata*, *Species* pro *clysmatibus* et *Syrupum prophylacticum.*

MONADELPHIA.

JUNIPERUS. *Mas. Amentum* ovatum. *Calyx* squama. *Corolla* nulla. *Stamina* tria.

Femina. Calyx tripartitus. *Petala* tria. *Styli* trés. Bacca trisperma, tribus tuberculis calycis inaequalis.

1. *communis*, foliis ternis patentibus mucronatis bacca longioribus LINN. sp. pl. ed. WILLD. IV. p. 853. n. 10. BAUMG. Fl. Lips. p. 577. n. 928. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 187. SCHKUHR. b. H. t. 337.

In locis collinis, apricis, sterilibus sponte, in hortis passim culta occurit.

Offic. Baccae, Lignum, Summitates Juniperi.

Multum in omnibus partibus arbor olei aetherei continet, adore specifico, sapore dulcamaro, acerrimo praediti, quod eius vires in abdominis inprimis vasa nervorumque plexus dirigit, ita ut gravius excitet organa ad functiones accelerandas, eique peculiaris sit vis diuretica, unde plerumque in hydropibus felici cum successu exhibetur. Utimur vel baccarum infuso, vel *Elacosacharo* vel *Roob.*

TAXUS. *Mas. Calyx* tetraphyllus gemmae. *Corolla* nulla. *Stamina* multa. *Antherae* peltatae octosidae.

Femina. Calyx tetraphyllus gemmae. *Corolla* nulla. *Stylus* nullus. *Semen* unum, calyculo baccato, integerrimo.

T. *baccata*, foliis linearibus distichis planis, receptaculis masculis globosis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. IV. p. 856. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 378. n. 930. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 512. SCHKUHR. b. H. t. 339.

In hortis nonnullis suburbanis et villis rusticanis quasi sponte. Floret Maio.

Offic. Folia et *Baccae Taxi.*

Arbor ob narcotici principii in foliis inprimis copiam haud exiguam ab antiquis iam venenata habita. In epilepsia antehac aliisque morbis nervosis laudatur, postea in febribus intermittentibus, inprimis nervosis et in hydrophobia, in menostasia cum chlorosi, in uteri scirrho. Remedium videtur anceps, non commendandum.

CRYPTOGAMIA.

GONOPTERIDES.

EQUISETUM. *Racemus* amentaceus, squamis peltatis. *Involucella* bivalvia. *Semina* nuda taeniis quatuor spathulatis polliniferis (?) circumplicata.

E. *arvense*, caulibus sterilibus simpliciter ramosis, ramis scabriusculis tetragonis; fructifi-

cantibus simplicibus, vaginis cylindraceis inciso-dentatis, dentibus acutis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. V. p. 1. n. 1. BAUMG. Fl. Lips. p. 498. n. 1184. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 217.

In agris sterilibus ubique. Floret Martio. Aprili.

Offic. *Herba Equiseti minoris* laudabatur olim, ob adstringentem, diureticam vim in gonorrhoea benigna, haematuria, profluviis alius indolis, phtisi. Non immerito obsoletum.

E. *hiemale*, caulibus simplicibus erectis scaberrimis apice spiciferis, vaginis discoloribus basi apiceque sphacelatis, dentibus aristatis omnino caducis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. V. p. 8. n. 12.

In silvis asperis, uliginosis, am Bienitz, in ericeto Dübenensi. Floret Aprili, Maio.

Offic. *Herba Equiseti maioris.* Non magis praecedenti laudanda. Cf. J. Ch. Gli. ACKERMANN's Bemerkungen über die Kenntniss und Kur einiger Krankheiten. Nürnberg, 1800. St. VII.

STACHYOPTERIDES.

LYCOPODIUM. *Capsulae* reniformes, uniloculares bivalves polyspermae. *Semina* minutissima pulveriformia. *Antherae* bivalves bracteatae?

L. *clavatum*, caule repente, ramis adscendentibus, foliis sparsis enerviis incurvato setigeris, spicis geminatis cylindricis pedunculatis, squamis ovatis acuminatis eroso-denticulatis. LINN. sp.

pl. ed. WILLD. V. p. 16. n. 14. BAUMG. Fl. Lips. p. 502. n. 1193. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 535. DILL. t. 58. f. 1.

In silvarum locis siccis, in collinis v. c. am Bienitz, ericeto Dübenensi etc. Floret Jun. Jul.

Offic, Herba Musci Clavati, Semen s. *Farina* s. *Pulvis Lycopodii,* Nonnisi Seminibus hodie utimur ad pilulas conspergendas et cutem subinflammatam infantum in intertrigine exsiccandam.

BOTRYCHIUM. *Capsulae* subglobosae, rachidi racemi compositi adnatae discretae nudae uniloculares, valvulis binis postice connexis transverse dehiscentes.

B. *Lunaria,* scapo superne unifrondoso, fronde pinnata, pinnis lunatis integerrimis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. V. p. 61. n. 1. *Osmunda Lunaria* LINN. Syst. BAUMG. Fl. Lips. p. 500. n. 1190. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 420.

In collibus siccis. Rarius occurrit in Flora nostra, verumtamen per plures annos desideratam plantam aestate praeterlapsa in via proxima ad collem St. Theclae qua versus pagum Schönfeld itur, denuo vidi, et nisi manibus rapacibus deleatur, spero, fore, ut iterum increscat.

Offic. Herba Lunariae, adstringens, antea vulneraria et in herniis salubris habebatur.

OSMVNDA. *Capsulae* subglobosae pedicellatae striatae semibivalves paniculatae. *Indusium* nullum.

O. *regalis*, frondibus bipinnatis, pinnulis lanceolatis subintegerrimis, basi inferiore subauriculatis, inferioribus oppositis, panicula bipinnata fructificante in apice frondis. LINN. spec. pl. ed. WILLD. V. p. 97. n. 3. BAUMG. Fl. Lips. p. 501. n. 1191. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 324.

In silvis humidiusculis der Dübenschen Haide. Floret Jun. Jul.

In rachitide nec non ad curandas hernias apud veteres in usu fuit. Vim omnem consistere in julis (fructificatione) et in radicis medulla contendit PAUL. HERMANNUS in *Cynosura materiae medicae*. Cf. edit. BECKLERI *Argentorat.* 1727.

FILICES.

POLYPODIUM. *Sori* subrotundi sparsi. *Indusia* nulla.

P. *vulgare*, frondibus profunde pinnatifidis, laciniis lineari - lanceolatis obtusis crenulatis approximatis superioribus sensim minoribus, soris solitariis, caudice paleaceo. LINN. sp. pl. ed. WILLD. V. p. 172. n. 71. BAUMG. Fl. Lips. p. 503. n. 1197. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 215. SCHKUHR Krypt. t. 11 et 17.

In rupium fissuris, ad truncos arborum in silvis umbrosis v. c. ad oppidum Wurzen, Grimma, in silva academica, prope Gohlis, Möckern, Lindenthal etc. Floret Jul.

Offic, *Radix Polypodii*, elongata,

horizontalis, tuberculosa; inter thoracica, eccoprotica a veteribus relata est. Infusum exhibetur interdum vel extractum ad mucum intestinalem leniter educendum et vermes enecandos.

ASPIDIUM. *Sori* subrotundi sparsi. *Indusium* umbilicatum vel uno latere dehiscens.

A. *Filix mas*, frondibus bipinnatis, pinnulis oblongis obtusis serratis, curvaturis muticis, soris costae mediae approximatis, stipite rachidibusque paleaceis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. V. p. 259. n. 94. *Polypodium Filix mas.* LINN. Syst. BAUMG. Fl. Lips. p. 504. n. 1200. *Icon.* BLACKW. Herb. tab. 323. SCHRUHR krypt. t. 44.

In silvis nemoribusque vulgare. Floret Jul. Aug.

Offic. Radix Filicis Maris.

Radix magna horizontalis, processibus superne cylindrico-papillosis imbricata, externe fusca, squamoso-spongiosa, interne albida, vix odorata, sapore austero, amaricante.

Usus. Tutissimum videtur remedium ad taeniam lumbricosque enecandos non vero evacuandos.

ASPLENIUM. *Sori* lineares transversales sparsi. *Indusia* e venis lateralibus orta costam versus dehiscentia.

A. Trichomanes, frondibus pinnatis, pinnis subro-

subrotundo-oblongis obtusis crenatis, basi truncato-cuneatis, stipite discolore. LINN. sp. pl. ed. WILLD. V. p. 331. n. 64. BAUMG. Fl. Lips. p, 507. n. 1208. A. *Trichomanoides*, LINN. Syst. veget. ed. XV. p. 974. n. 13. WEB. MOHR. p. 40. n. 3.

Icon. BLACKW. Herb. t. 370. WEB. MOHR t. III. f. 3. (pinna.)

In rupibus, muris, v. c. ad portam am Gutthurm, prope Wurzen, Grimma. Floret Jun. Jul.

Offic. Herba Trichomanis s. *Adianthi rubri*, subadstringens, obsoleta.

A. *Ruta muraria*, frondibus basi bipinnatis, apice simpliciter pinnatis, pinnulis rhombeo-oblongis obtusis, apice obtuse denticulatis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. V. p. 341. n. 82. BAUMG. Fl. Lips. p. 507 u. 1209. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 219.

In muris vetustis rupibusque cum praecedenti vulgare, v. c. in ipsa porta Ranstaedtensi, ad pontem am Gutthurm.

Offic. Herba Rutae Murariae s. *Paronychiae.*

Utriusque herbae vires subadstringentes, quae iis insunt, olim in cachexia, scorbuto, rachitide laudatae sunt.

PTERIS. *Sori* continui lineares marginales. *Indusium* e margine frondis inflexum interius dehiscens.

P. *aquilina*, fronde tripartita, ramis bipinnatis, pinnis lineari-lanceolatis, superioribus indivisis, inferioribus pinnatifidis, laciniis oblongis obtusis. LINN. sp. pl. ed. WILLD. V. p. 402. n. 105. BAUMG. Fl. Lips. p. 508. n. 1210. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 325.

In silvarum locis sterilioribus, in silva academica, prope Düben etc. Floret Julio, Aug.

Offic. Radix Pteridis s. *Aquilariae.*

Olim radice adversus taeniam bellare studuerunt.

MUSCI.

POLYTRICHUM. Peristomium simplex dentibus 32 — 64, apice membranam prehendentibus. Flos masculus femineusque terminalis.

P. *commune*, subsimplex, foliis margine dorsoque serratis, apophysi orbiculata, theca tetragona, operculo mucronato. SCHWAEGRICH. Suppl. II. ad HEDWIG. spec. muscor. frondos. p. 314. n. 7. BAUMG. Fl. Lips. p. 518. n. 1235. P. *yuccaefolium* EHRH. WEB. et MOHR. p. 221. n. 3. *Icon.* DILLEN, t. 54. f. 1.

In silvis umbrosis humidiusculis ubique. Fructiferum mense Junio.

Offic. Herba Adianthi aurei.

Nonnisi a rusticis interdum ad superstitiosum usum desideratur, saepius cum aliis et affinibus speciebus commixtum, quae sunt:

P. *iuniperinum*, subsimplex, foliis patulis margine inflexis integerrimis costa scabris, theca appendiculata parallelopipeda. SCHWAEGRICH. l. c. p. 309. BAUMG. p. 519. n. 1236. P. *iuniperifolium*, HOFFM. Fl. germ. Cryptog p. 24. n. 2. WEB. et MOHR. p. 219. n. 2. *Icon.* DILLEN. t. 54. f. 2. HEDWIG. spec. musc. t. 18. f. 6 — 10.

In silvis siccioribus, ericetis passim. Theca maturat mense Iunio.

Speciei praecedenti plerumque multo maius est.

P. *piliferum*, simplex, foliis lineari-subulatis margine inflexis integerrimis piliferis, theca tetragona. SCHWAEGRICH. l. c. p. 312. SCHREB. spicileg. p. 74. n. 1031. BAUMG. p. 519. n. 1237. WEB. et MOHR. p. 218. n. 1. *Icon.* DILLEN. t. 54. f. 5.

In siccis silvarum marginibus, ericetis, collibus, agrorum arenosarum limitibus atque versuris passim. Frequens am Bieniz. Maturat vere.

Minus P. *commmuni*; saepissime huius masculi flores leguntur.

FONTINALIS. *Peristomium* duplex: exterius dentibus 16. latiusculis: interius reticulatum. Flores masculi gemmacei axillares.

F. *antipyretica*, foliis trifariam imbricatis ovatis complicatis; perichaetii ovatis. SCHWAEGRICH. l. c. p. 307. BAUMG. p, 549. n. 1328. WEB. et MOHR p. 376. n. 1.

Icon. DILLEN. t. 33. f. 1. HEDWIG. fundamenta II. t. 1. f. 5. t. 4. f. 14 — 15. t. 9. f. 53 — 55.

In fossis aquosis, stagnis, lacunis v. c. in prato Vogelwiese.

Officinalis fuisse videtur in febribus s. d. ardentibus.

LICHENES.

(** Coenothalamia).

BAEOMYCES. *Cephalodium* non marginatum, membrana seminifera obductum, nucleo thallode, podetiis suffultum. *Thallus* foliaceus fruticulosus.

B. *cocciferus*, podetiis brevibus cinereo-virentibus, scyphis digitatis integris clausis, cephalodiis marginalibus coccineis. Spreng. Fl. Hal. p. 326. n. 1335. *Cladonia coccifera.* Baumg. Fl. Lips. p. 572. n. 1388. *Icon.* Dill. t 14 f. 7. Spreng. Anleitung zur Kenntniss der Pflanzen. t. 9. f. 93.

In silvarum marginibus, in locis arenosis sterilibus. Bieniz, silva academica. Perfectus Mart. Aprili.

Offic. Herba Ignis.

Olim antifebrilis habita.

B. *pyxidatus*, podetiis brevibus, scyphis cyathiformibus clausis integris, cephalodiis marginalibus fuscis. Spreng. Fl. Hal. p. 327. n. 1339. Baumg. Fl. Lips. p. 573. n. 1391. α. *Icon.* Dill. t. 14. f. 6.

In locis sterilibus, apricis, ericetis vulgaris,

v. c. am Bieniz, in silva academica, prope Eutritsch, Lindenthal etc. Perfectus vere.

USNEA. *Orbillae* planae ambitu radiatae. *Thallus* loreus filamentosus fruticulosus.

U. *plicata,* thallo filamentoso-ramoso pendulo, ramulis elongatis fibrillosis implexis, orbillisque pubescentibus. SPRENG. Fl. Hal. p. 328. n. 1349. BAUMG. Fl. Lips. p. 590. n. 1446.

In silvis siccis a quercuum, fagorum, betularum truncis vetustis pendens.

Offic. Herba Musci Arborei s. *Quercini.*

Ob vim adstringentem laudatus in excoriationibus, haemorrhagiis; Hernia umbilicali. Alii et in tussi convulsiva adhibuerunt.

PARMELIA. *Apothecium* scutellae. *Semina* tubulis inclusa. *Thallus* crustaceus, foliaceus, filamentosus.

P. *parietina,* thallo stellato flavo subtus subfibrilloso, laciniis rotundato-lobatis crispis, scutellis concoloribus. SPRENG. Fl. Hal. p. 334. n. 1388. *Lichen parietinus.* BAUMG. Fl. Lips. p. 567. n. 1375. *Icon.* DILL. t. 24. f. 76.

In muris, arboribusque vulgatissima species.

Offic. Herba Lichenis parietini.

Nuper cortici peruviano substituta. Conf. G. C. H. SANDER, Dr., die Wandflechte ein Arzneimittel welches die peruv. Rinde nicht nur entbehrlich macht, sondern sie auch an gleich-

artigen Heilkräften übertrifft. Preisschrift. Sondershausen, Voigt. 1815. 4. mit 1 Kupf.

P. *furfuracea*, thallo cinereo pulverulento subtus fusco nudo, scutellis lateralibus concavis rubris. SPRENG. Fl. Hal. p. 337. n. 1402. *Lichen furfuraceus* BAUMG. Fl. Lips. p. 567. n. 1377. *Icon.* HOFFM. Fl. Germ. III. t. 9. f. 2. DILL. t. 21. f. 52.

Ad ramos truncosque arborum inprimis coniferarum in silvaticis siccioribus.

Ob amaritiem non facile aufugam etiam hanc Peruviano cortici substituere nonnulli conati sunt.

P. *Prunastri*, thallo molli rugoso - lacunoso exalbido, laciniis divaricatis attenuatis, scutellis concavis badiis. SPRENG. Fl. Hal. p. 337. n. 1404. *Lichen Prunastri.* BAUMG. Fl. Lips. p. 568. n. 1380. *Icon.* DILL. t. 21. f. 54.

In Pruni spinosae aliorumque arborum cortice vulgaris.

Offic. Muscus Acaciae.

Remedium adstringens. In prolapsu uteri et ani a Würtembergis ad balnea et fotus commendatus.

PELTIDEA. *Apothecium* peltae. *Semina* tubulis inclusa. *Thallus* foliaceus lobatus subtus fibrillosus.

P. *canina*, thallo coriaceo expanso cinerascente, subtus albidiori, venis fibrillisque fuscescenti-

bus, lobis oblongis, peltis verticalibus anticis revolutis badio rufis. SPRENG. Fl. Hal p. 338. n. 1411. *Peltigera canina.* BAUMG. Fl. Lips. p. 562. n. 1360.

In silvis umbrosis ad terram et putridos truncos.

Offic. Herba Musci canini.

Inter medicamenta insueta numerat LINNEUS. In Hydrophobia s. rabie canina laudarunt veteres unde forte nomen. Qualitates ei sunt hae quas BAUMGARTENIUS refert: sapor lichenis exsiccati est ingratus mucidusque. Extractum aquosum odorem balsamicum valde ingratum vetustioris halecis, mephitim referens, spirat. sapore primum dulci, deinde amariusculo subtiliterque acri fere piperito gaudet. Extractum spirituosum, quod in minori copia obtinetur, mellei est odoris minusque acre. *Praep. Pulvis antilyssus*, part. duae Lichenis, una piperis nigri.

P. *aphthosa*, thallo coriaceo expanso laete viridi sorediis sparsis glaucis fuscis, subtus avenio nigro-fibrilloso, peltis anticis rotundis rubris. SPRENG. Fl. Hal. p. 338. n. 1412. BAUMG. Fl. Lips. p. 561. n. 1358. *Icon.* HOFFM. Fl. Germ. III. t. 6. f. 1.

In silvis umbrosis. Lindenthal, silva academica.

Offi. Herba Musci Cumatilis.

Vi drastica gaudere atque in aphtis et morbis verminosis salubrem praedicant veteres. Rusticos Upsalienses infusum huius Lichenis cum lacte praeparatum infantibus aphtis laborantibus praebere narrat LINNEUS.

F U N G I.

(Hymenothecii.)

AMANITA. *Volvata; Pileus* carnosus, utplurimum verrucosus. *Lamellae* confertae, subintegrae. *Stipes* utplurimum elongatus; annulatus aut nudus.

A. *Muscaria*, pileo aurantiaco - rubro planiusculo nitido subverrucoso, verrucis lamellis stipiteque candidis. PERS. Synops. Fung. p. 253. n. 11. SPRENG. Fl. Hal. p. 364. n. 1595. *Agaricus muscarius.* BAUMG. Fl. Lips. p. 608. n. 1512.

In silvis, inprimis Pinetis et betuletis, Lindenthal, am heitern Blick. etc. Autumno.

Ad ulcera inveterata sananda externe, etiam contra sphacelum interne et externe adhibuerunt interdum.

LYCOPERDON. *Peridium* caulescens, apice demum ruptum, verrucis squamulosis, aut spinulosis obsitum. (Pulvis seminalis viridis.)

L. *Bovista*, magnum obconicum molle pallescente-albidum, subtus plicatum, squamis latiusculis. PERS. Synops. Fung. p. 141. n. 2. BAUMG. Fl. Lips. p. 658. n. 1679.

In pascuis, collibus apricis, hortis, pomariis frequeus legitur autumno.

Offic. Crepitus Lupi, Fungus Chirurgorum.

Laudabatur obstipans, absorbens, incrassans in amputatione, haemorrhagia, ulceribus.

BOLETUS. Pileus varius. Tubuli et pori teretes integri.

*** pileo dimidiato acauli.

B. *suaveolens*, odoratus crassus subsuberosus, pileo subtomentoso albo, poris (maiusculis) fuscescentibus: nonnullis superficie inaequali prominulis acutis. PERS. synops. Fung. p. 530. n. 54. BAUMG. p. 633. *Icon.* ENSLIN dissert. Erlang. 1784. de boleto suaveolente c. icone.

Ad annosarum salicum truncos, eosque inprimis emortuos. Schönfeld, Rosenthal etc.

Offi. Boletus suaveolens s. *Fungus. Salicis.* Leniter adstringens in morbis pulmonalibus nec non spasmodicis laudatus. Cf. Dissert. supra citat.

TREMELLA. *Effusa*, gelatinosa, plicato-gyrosa. *Pileus* (in pluribus) distinctus nullus.

F. *Auricula Judae*, cespitosa tenuis flexuosa concava nigrescens, subtus plicata subtomentosa olivaceo-cinerea. PERS. Synops. Fung. p. 624. n. 9. T. *Auricula* BAUMG. Fl. Lips. p. 667. n. 1711. *Peziza Auricula.* LINN. Syst. Veget. *Icon.* BLACKW. Herb. t. 334.

Ad truncos Sambuci nigrae frequeus. Autumno.

Offic. Auricula Judae.

Laudant veteres refrigerantem, exsiccantem, adstringentem in inflammationibus, inprimis in ophthalmia, angina. Nobis inusitata.

Pag. 54. deest indicatio loci atque virium *Saniculae europeae.* adde:

Habitat in silvis umbrosis, v. c. ad pagum Lindenthal. in silva academica *hinter der Försterwohnung* Floret Maio, Junio.

Principium amarum, adstringens sapor prodere videtur.

Utebantur olim medici *Herba Saniculae* interne non minus quam externe ad discutiendos tumores, ad vulnera et ulcera sananda, praeterea etiam in leucorrhoea, haemorrhagiis eius vires laudibus extulerunt

---

AUCTORES BOTANICI CITATI.

J. Ch. G. Baumgarten Flora Lipsiensis sistens plantas in agris circuli Lipsici tam sponte crescentes quam frequentius cultas etc. Lipsiae, 1790. 8.

Blackwellianum *Herbarium* emendatum et auctum c. praefat. Dr. Chr. J. Trew. Centur. I—VI. Norimberg, 1750—1772. Fol.

G. R. Boehmeri Flora Lipsiae indigena. Lipsiae, 1750. 8.

Dillenii historia muscorum. Oxon, 1745. 4.

F. Ehrhart's Beiträge zur Naturkunde und den damit verwandten Wissenschaften. Bd. I—VII. Hanover und Osnabrück, 1787—1792. 8.

Flora danica ed. G. C. Oeder, O. F. Müller et M. Vahl. Vol. I—VII. Hafn. 1764—1799. Fol.

A. HALLERI historia stirpium indigenarum Helvetiae. Tomi III. Bern, 1768. Fol.

F. G. HAYNE, getreue Darstellung und Beschreibung der in der Arzneikunde gebräuchlichen Gewächse, wie auch solcher, welche mit ihnen verwechselt werden können. Vol. I — III. 1805 — 1813. Vol. IV. Fasc. 1 — 6. 1816.

J. HEDWIG theoria generationis plantarum cryptogamicarum. Lips. 1797. 4.

EJUSD. fundamentum historiae naturalis muscorum frondosorum; concern. eorum flores, fructus, seminalem propagationem; adj. generum disposit. method. Lipsiae, 1782. 4.

EJUSD. species muscorum frondosorum, Opus posthumum edit. a Fr. SCHWAEGRICHEN. Lipsiae, 1801. 4.

Fr. SCHWAEGRICHEN supplementa ad J. HEDWIGII species muscorum frondosorum. Sectio posterior. Lipsiae, 1816.

G. F. HOFFMANN Deutschlands Flora, oder botanisches Taschenbuch. Jahrgang I. 1791. II. 1795. III. 1800. IV. 1804. 8. min.

F. W. LEYSSERI Flora Halensis. Halae, 1783. 8.

C. LINNEI systema vegetabilium ed. XV. cura PERSOON. Götting., 1797.

EJUSD. species plantarum, ed. WILLDENOW. Tom. I — V. Berol. 1797 — 1810. 8. maj.

P. S. PALLAS haloph. illustrationes plantarum imperfecte vel nondum cognitarum. Fasc. I—IV. Lipsiae, 1803—1805. Fol. maj.

C. H. PERSOON synopsis methodica fungorum. Götting., 1801. 8.

EJUSD. Synopsis plantarum s. enchiridium botanicum. Pars. I. II. Parisiis Lutet. 1805.—1807.

A. W. ROTH. tentamen Florae germanicae. Vol. I.—III. Lipsiae, 1788—1808. 8.

H. B. RUPPII Flora Jenensis. ed. A. HALLERI: Jenae, 1745. 8.

C. SCHKUHR's botanisches Handbuch. Th. I—III. Wittenberg, 1791—1803. 8.

EJUSD. Kryptogamische Gewächse. H. 1. 2. Leipzig, 1803—1805. 4.

J. C. D. SCHREBER's Beschreibung und Abbildung der Gräser. Leipzig, 1769. Fol.

EJUSD. spicilegium Florae Lipsicae. Lipsiae, 1771. 8. maj.

Fr. SCHWAEGRICHEN Topographiae naturalis Lipsiensis Spec. II. et IV. 1799. et 1806.

C. SPRENGEL Anleitung zur Kenntniss der Gewächse. Th. 1—3. Halle, 1802—1804. 8.

EJUSD. Florae Halensis tentamen novum. Halae, 1806. 8.

EJUSD. plantarum umbelliferarum denuo disponendarum prodromus. Halae, 1813. 8.

EJUSD. plantarum minus cognitarum pugillus I. II. Halae Kümmel, 1813. 8.

F. G. WALLROTH annus botanicus s. Suppl. III. ad C. SPRENGELII Floram Halensem. Halae, 1815. 8.

C. L. WILLDENOW Anleitung zum Selbststudium der Botanik. Berlin, 1809. 8.

EJUSD. Enumeratio plantarum horti Regii botanici Berolinensis. Berolini, 1809. 8.

INDEX BOTANICUS.

Nomina germanica typo distante, francogallica literis cursivis, Synonyma et nomina in adnotationibus occurrentia typo usuali impressa sunt.

B.

C.

N.

Q.

INDEX PHARMACEUTICUS.

